Pauli 2. fl.

1870. XII. 10.

właściwy autor Kaliński
piar.

ERYMANTHUS
In Helicone
SYLVA CHRISTIANO-POLITICA,
Sancti Regis, Optimi Senatoris,
Boni Aulici, Pij Christiani,
INSTRVCTVS,
Triumphalibus Vestigijs
PATRITIJ APRI
Illustrissimi & Excellentissimi Domini,
D. STANISLAI
COMITIS à DENHOFF,
Campiductoris M. D. L. Ensiferi Regni, Capitanei Neocorc. Kościerzec. Latovicens. &c.
DETRITUS.
SEV
LIBRI IV. ELEGIARUM.
AUTHORE
JOANNE DAMASCENO à MATRE DEI,
Scholarum Piarum Sacerdote.

VARSAVIÆ, Typis Collegij Scholarum Piarum. A.D. 1713.

IN GENTILITIA ARMA
ILLUSTRISSIMORUM
COMITUM à DENHOFF.



Alcides rigidas ERYMANTHI frangere Sylvas,
Ausus; ut invicto congrederetur APRO;
Congressus; vivum, magnis tulit ille lacertis,
Quis victor? puto, quem subdita colla vehunt.
Sic DENHOFFIADES, victi cervicibus orbis
Insidet, in currus, hostibus usus APER.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

SUscipis? an reprobas devincti munera vatis?
Non potes officium, non tolerare meum,
Regibus à Proavis, in Reges ire Nepotes.
Te monet, Auguriis Divus Apollo ſuis.
Undè meas animans inſveto Numine Muſas,
Juſſit DENHOFIOS excinerare Duces.
Sic in Iberiacum, Tecum deſcendimus Orbem,
Ut Tua quàm pateant, Dux probe, geſta legas.
Tot Regum murex, Patrios intexerat ortus;
Quidni præſtet idem, vita moderna Tibi?
Cernis, ut Heſperiæ, licet aurea pignora frondes,
Non ſemper generent, vis tamen illa manet.

Hinc

Hinc interiectâ, modicùm ſacra ſylva quiete,
Quæ tulerat, rursùs fulgida poma feret.
Imò ſolent paſſim quævis requieſcere ſtirpes;
Florida non omni tempore gignit humus.
Ut tamen is ceſſit, fuerat qui parcior annus,
Uberiore ſinu priſtina dona meant.
Sic, quæ Regificis Domus, exorditur ab aſtris,
Non ceſſat, quamvis mox valitura, vacat.
Idem declivi, medio qui Phæbus in axe;
Quæ creſcens, eadem Cynthia plena, Dea eſt.
Sed ſi nec veteres liceat numerare coronas,
Dat nova ſceptra, thronos, mens generoſa Tibi.
Civica Sidonio, radiat plùs murice virtus,
Rex animus ſolium ſufficit ipſe ſibi.
Sæpè fit, ut rudiùs celet ſacra purpura pectus;
Inferior ſceptris mens diadema replet.
Sæpè fit, ut Tyrio non exornata tumore,
Regibus Heroes educet aula pares.
Non hæc, quæ ſterili, vitis nitet aurea, ramo,
Quam gravis inclinat botrus, & uva, placet,
Gemma latet Princeps informi credita conchæ,
Abſcondit tumidum ſuccina clara fretum.

Quod

Quod si me iubeas, Civiles dicere curas?
Ut Tua res, scissis, sæpè vocata Lechis?
Ut tot honorificos, inter contendis agones,
Cùm Tuus Imperii Scipio iura fovet.
Quæq; nec in Senium Fabius vergentibus annis,
Aût vellet Dominus sustinuisse Pylos;
Hæc populi plausu, sceptris mirantibus Arctos,
Flos tulit ætatis munia magna Tuæ.
Efficis, ut Princeps regnet; qui dicere Reges
Par est, Augustos non reget ipse thronos?
Nil dat, in affini quod non habet ordine virtus,
Diffundit partas fertilitatis opes.
Insidet effectus fæcundæ viscera causæ;
Anteq; fert in se, quod parit, illa bonum.
Hinc nec odoriferum carex effingit amomum,
Nec generat suaves, atra cicuta rosas.
Si Tibi vim mentis tribuunt bona Numina tantã,
Ut stent consilio regia sceptra Tuo.
Hoc prior ipse potes, quod das regnantibus aulis,
Id præhabes, quod in hæc culmina celsa iacis.
Sed Tibi plùs laudis, merito certare thronorũ;
Quàm summos avidâ quærere sorte thronos.

Esse probum Civem, plùs est, quàm flectere gentes,
Aût Rhodopen regnis exspoliare suis.
Maioris pretii Zamoyscius æstimat, inquam,
Nobilis officium, quàm Ducis esse sibi.
Non virides cirri, teneris dant pabula plantis,
A radice puto, tota medulla venit.
Non in gemmiferis, ita publica ritè coronis,
Ut solet in recto Cive, vigere salus.
Nil habet ambitio, nil frons inamabilis in Te,
Sola placet studiis Patria cura Tuis.
Præsidium Themidos, cuius Tu maxima laus es,
Non alibi meliùs, prosperiùsq; stetit.
Tempus quod superest, post summa negotia regni,
Principibus fastis, historiisq; patet.
Dignius haud quisquam Latias cōplectitur artes,
Aût meliore refert scripta vetusta fide.
Tullius exilium peteret, si Roma loquentem,
Si Te, dictantem iura, videret Eos.
Dum sinit officium Regni, belliq; labores,
Assiduus recreat vota, manusq; liber.
Certè nobiliùs nec habet mea Musa, quid optet
Nec plùs vult oculis, quàm sit ut apta Tuis.
O quàm

O! quàm tractari manibus lætabitur illis,
Sarmatici cælum quæ tenuere throni;
O! quàm sidereos incurrere sola studebit,
Sed metuet vultus, pallida charta Tuos.
Cêu qui Carpathii timet æquora turbida ponti,
Attamen ingentes navita tentat aquas.
Cêu qui magnanimos pavet aspexisse leones,
His tamen audaci ludit in ore manu.
Judicium metuit, tanto censore probanda,
Diligit aspectus posse tenere Tuos.
Ipse ego cum primos vellem benè ferre labores,
Attonitâ, quo sub Nomine, mente steti.
Mox ubi cognovi, quantus Tibi Palladis usus,
Deflexi Musas sub Tua signa meas.
Qualem lætitiam subitò, quæ gaudia sensi?
Cum mihi præsidium grande daturus eras?
Non equidem tali veniunt mea carmina cultu;
Qualem Patritius, lege requirit honor.
Nulla tegit molles Priameia purpura Musas,
Sat decoris tribuit, pulla lacerna sibi.
Materies tamen ipsa metri, Te digna Patrono,
Quæ levat ingenii semina parva mei;

Rex

Rex Sanctus, nostris, bonus Aulicus, atq; Senator
Optimus, è studijs sub Tua jura venit.
Tu mihi, si quis erit malè culti carminis error,
Te clypeum, contra tela severa, dabis.
Quod creat Augustos, Lechicū tenet ore Senatū,
Hoc mihi Præsidio convenit esse CAPUT.

Ex Voto

Jllustrissimæ Dominationis Vestræ

Humillimi Servi

J. D. à M. D.
Scholarum Piarum.

Ad

Ad Lectorem.

Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis,
Excusata, suo tempore, Lector habe.

Ovidius lib. 4. Trist:

Quod spiro, & placeo, si placeo, tuum est.

Horatius lib. 4. Odâ 3.

FACULTAS
A. R. P. per Poloniam & Lithvaniam
PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

VIgore concessæ mihi ab A. R. P. Nostro ANDREA à S. SEBASTIANO Præposito Generali potestatis, Libros IV. Elegiarum, studio, & operâ P. JOANNIS DAMASCENI à MATRE DEI concinnatos, quos Religiosi Patres Nostri Theologi, quibus id commissum est, censuerunt, & approbarunt, Typis tradi, & in lucem edi permitto; cujus rei gratiâ subscribo, & signo Varsaviæ die 9 Septembris, Anno 1712

DOMINICUS á S. THOMA Aquinate,
Præpositus Provincialis. *mpp.*

DAMIANUS à PURIFICATIONE B. M. V.
Assistens *Provincialis. mpp.*

APPROBATIO.

OPus hoc Elegiarum, nullâ sui parte religioni & bonis moribus dissonum, ut typis vulgari valeat, permitto. Varsaviæ, die 25 Januarij, A. D. 1713.

NICOLAUS TOMISŁAWSKI Decanus
& Officialis Varsav. *mpp.*

REX SANCTUS.

Ego Conſtitutus ſum REX ſuper Sion montem ſanctum. *Pſal.* 2.

LIBER I. ELEGIARVM.

JESVS NAZARENVS, REX Judæorum Invictissimus, Exemplar Regalis Vitæ.

ELEGIA I.

Legati Pij Manes SS. Patrum ad Patrem æternum, pro Filio Unigenito mundi utriusq; Hærede.

Sistimur, at quali trepidæ formidine mentis!
Ante tuos mundi REX utriusq; pedes;
Gens tua sancta sumus, Domini figmenta Lacerti,
Quos modò Tænarij nox gravat astra specûs.
Mittimur à clausis in atroci Patribus Orco,
Æternæ mortis nos quatiente metu.

Sed gravior, primo, nostros timor occupat ausus,
Cernimus, ut læsi proxima regna Poli.
Et scimus, Thariæ Numen quod faverit aulæ,
Mens tamen admissis horret iniqua malis.

Nil odio graviùs, quod nascitur inter amãtes.

Quam parit affectus, perit omnis gratia culpâ,
Durior amisso terret amore metus.
Post mites Zephyros Borealis sævior ira est,
Inveniens tacitas, plùs jacit Eurus aquas.
Est tamen, est cœlum mortali flexile damno,
Terrigenas certum est Numen amare Duces.
Cur etenim superæ terrenis arcibus arces!
Cur tibi plùs cœlum, quàm tua terra placet?
Quam tu lege pari, cêu fulgida sidera, reples,
Vnaq; Majestas est utrobiq; tua.
Quam tu fœcundo mentis spiramine formas,
Cœlestis dextræ grande relucet opus.
Iussisti patulis Tethyn secedere campis,
Quam tellus propter non habitanda fuit;
Mox redijt presso Tethys pacatior æstu,
Nereus est Isthmum passus habere brevem.
Terra colorato recreata est pignore florum,
Irriguo sterilem fonte levante sitim.
At quoties gravidæ pluvioso vellere nubes,
Herbida frugiferis imbribus arva rigant.

Flava

Flava Ceres largis extensos messibus agros,
Ruricolas animat pinguis arista manus.
Thyrsiger in quævis evadit culmina Bacchus,
Pingit odoriferum culta Napæa solum.
Nil vacat à donis; vestri sine munere sceptri,
Nullâ vel tellus, vel juga, parte jacent.
Regia munifico virtus nat ubiq; profundo,
Nec patitur tenues spe caruisse sinus.
Astra cavas penetrant operoso sidere rupes,
Et Phæbi quovis lux viget acta loco.
Attamen & Reges certo se limite stringunt,
Et vix sideribus quælibet antra patent.
Tu minimas etiam præsenti Numine valles,
Fænoribus reples infima regna tuis.
Quâ minùs excolitur, nemorosis saltibus horret,
Et dat humus varijs hospita tecta feris.
Ducitur hinc nostris robustior ædibus arbor,
Exportant longas rustica plaustra trabes;
Hinc bona pontivagis còálescunt membra carinis,
Remus, & Ioniæ pinus amica rati.
Hæc tibi narramus, non quod tibi cognita non sint,
Sed quia mortali debilitata fide.
Utimur in pejus, majoraq; crimina cœlo,
Dotibus augetur non populare scelus,

Munifici Reges, Regnorũ commoda curãt.

 Quæ

Deterior donis, improbus esse solet.

Quæ data sunt hominum communi dona saluti,
Applicat exitijs improba causa suis.
Sugimus infelix medico de flore venenum;
Et crudos chalybes aurea gleba parit.
Eruitur tellus, fodiuntur viscera terræ,
Servit opum cupidis naufraga gemma viris.
Aurum regna bibunt, luxu fluit aucta supellex,
Et studet ignivomos anticipare polos.
In socias clades ferrum mala decoquit incus,
Quod terræ gelidi suppofuêre sinus.
Nitimur & celsis in cœlum surgere muris,
Adjuvat excoctus cœpta superba later.
Nec movet exemplo flammis prius obruta Babel,
Molitur pejor plùs Babylone manus.

Crimina de vitijs generantur origine certa.

Natura est vitijs, celeri succrescere fronde,
Deterius generat prima ruina malum.
Quos ferus Argolicæ Tyrinthius abstulit Hydræ,
Sub telo plures serpere vidit hydros.
Id quoq;, (quod pudor est misero meminisse nepoti,
Ne revocent odium noxia verba priùs,)
Id quoq; fædifragæ fluxit de viscere terræ,
Quod glubit, mundi crimen, avarus Adam.
Hoc nos usq; hodie Superis obtutibus arcet,
Captivat longis nexibus omne genus.

Defi-

Deficiunt vires, vox est exhausta Sionis,
Nec superest, Patrum mens tumulata, sibi.
Nos gemimus, nemo gemitus intelligit illos;
Nos querimur; sed quem facta querela movet?
Scilicet, externo, raro quis tangitur ictu,
Scyria Pergameus non movet arma cinis.
Tu spes una, DEUS, noscis suspiria solus,
Tu potes Isacios extumulare Patres.
Tristia tu misso dispunges funera Nato;
Quo, nos, usq; Stygis sæva tyrannis aget?
Qui regis Isacidas nostris intende querelis,
Qui Ioseph, saturæ more reducis ovis.
Qui super excelsi Cherubin flagrantia colla,
Ponis inaspectum mole latente thronum;
Clementis, tandem, manifesta sidera vultûs,
Beniamin, Ephraim, sceptra Manassis egent.
Exere Divinas vires; suprema salutis
Spes est humanæ, sola medela DEUS.
Dispereant tenebræ, cæci vaga spectra Charontis,
Quæ captivorum sustinet umbra Ducum.
Si non plùs, faciem nobis ostende serenam,
Res erit aspectis jam propè salva genis.
Iessea de Phario translata est vinea septo,
Quam nunc propulsis hostibus usq; foves.

Externi nimis est cura remissa mali.

Psal. 79

Ipse

Ipſe laboranti per inhoſpita teſqua, per æquor,
Aſſueras populo Lux, clypeusq́; tuo.
Mox ubi radices fereris plantâſſe novellas,
Obſedit multos regia vitis agros.
Induit umbriferis colles, & prata racemis,
Arbuſtis ipſas viſa præire Cedros.
Preſſit Erythræum gemmanti palmite littus,
Propago Medum Ieſſea flumen habet.
Cur, igitur, tanto quod te ſudore parâſſe
Novimus, æterno perditur igne decus!
Cur modò ſuccisis hæc vinea ſepibus Orco,
Cur datur accenſis exſpolianda focis?
Hinc Stygialis aper dulces depaſcitur uvas,
Hinc non vulgaris nos fera Ditis agit.
O! DEVS auſculta gemitus, & vota Sionis,
Sit tibi tot pœnis gratior umbra Patrum.
Adveniat pulchro radians diademate Natus,
Proderit afflictis credimus ille bonis;
Reſpice de cœlo, quæ nos incommoda laſſant?
Quanta vocat Dominum gens redimenda ſuum.

Iudicis affectu sit data pœna levis.

Mitior eſt, quamvis non mutet pæna rigorem,
Cùm, Judex hilari crimina fronte domat.
Noſce tuos Cives, & quod tua ſimus imago.
Quæ nos formavit, conſtituitq́; manus?

Nonne

Nonne tibi floret tot adeptis Iuda triumphis,
Et debellatæ proxima ſceptra Tyros?
Quidquid arundiferis retegit Sol vectus ab Indis,
Erranti Nilo quidquid aperta Pharos.
Quidquid Hyperboreis glaciat Septemtrio terris,
Aut fovet hirſutâ Pharraſis Vrſâ face.
Quod tellus, quod pontus alit, quod ſidera luſtrant,
Imperijs ſervit, ſubijciturq; tuis.
Cur igitur pateris gravibus parere Tyrannis
Gentes, quas iuris novimus eſſe tui?
Omnia cœleſtis ſibi mænia vindicet Hæres;
Vſurpatores, qui modò regna tenent.
Manat in Authorem, quæcunq; eſt gloria primum,
Undè meat, toto refluit amne latex:
Mitte ſubarrhatæ, petimus, tua pignora Silo,
Iam facilis tellus eſt juga veſtra pati.
Quodſi di cordes renuant parere coronæ,
In tua caſtra ſtatim pontus, & aſtra fluent.
Certior, an detur, ſuperis victoria ſignis?
Cûi præſto mundi militat omnis honor.
Quid? quod & umbroſæ quas nunc habet orcus abyſſi,
Excuſſâ venient in tua jura ſtyge!
Quemq; trahit dulci libertas cognita ſenſu,
Calcar ad audendum ſpes bona ſola fuit.

Authorem ſequitur gloria quæq; ſuum.

Libertas vires in patienda fovet.

O Pater! exaudi gemitus ululantis Idumæ!
Filius Isacijs Regibus una salus.
Quæ Tibi de nostro florebit gloria luctu?
Quod decus, in stygijs si moriamur aquis?

Pignora quæ cædit, mulcet amica manu.

Est satis iratæ catulos prostrasse Leænæ,
Quæ rabiens læsit pectora, lambit amans.
Etsi degeneres objecto sole probavit,
Ad nidum pullos regia portat avis.

Nos licet, & stygius pœnis crudelibus hostis
Afficit, & rigidi turbat imago Dei;
Non tamen, exangues lenit clementia vultus,
Non aliquis lachrymas est posuisse modus.
Nonné decet potiùs nostris te laudibus uti?
Et melicâ superos voce juvare choros?
En! quàm læta Sion, disruptâ compede Dirces,
Curreret in plausus officiosa tuos!
Quod si flagitijs hæc debita mulcta paternis,
Nec satis id pensant funera nostra scelus;
Sidereus lapso succurrat Filius orbi,
Solvet obærati debita victor Adæ.
Forsitan hæc audax orandi nostra facultas,
Afficit æthereos, parte stupente, globos?
Nec stupor est vanus; quis herilia limina servus,
Patrato grandi crimine, tutus adit?

Et

Et nos, cêu tremulum tenui mare pellitur aurâ,
Perstrinxit nimius, spe pereunte, timor;
Dum tua supplicibus celeramus in atria votis,
Quos scelus admissum, dictat, & ira reos.
Attamen augustæ suadent oracula vocis,
Securâ, te, nos posse vocare prece.
Iurasti, siquidem, nec juravisse pudori est,
Quod bona sit Solymis exoritura salus.

ELEGIA II.
Pater Æternus respondet Legatis Manibus.

QVæ vos æthereo fiducia reddidit axi?
Tot scelerum pridem gens rea facta mihi.
Quâ spe consilij superas invaditis arces?
Ritè quibus nostri jura negata fori.
Sic, nihil est, hominum quo non audacia surgat,
Et semper vetitas involat error opes?

In quævis audax crimina pergit homo.

Quis memor admissi, reprobat quod Curia, facti,
Introijt Themidos, supplicijq; locum?
Res eadem vobis, simili luctatur arenâ,
Attamen offensos vult penetrare Polos?

Mors, deſperatis ſolatia mentibus offert.

Scilicet in præceps projectæ turbine mentes,
 Interitum quærunt accelerare ſuûm.
An mea tam facili mutantur juſſa favore?
 Vt lembum vitreâ nare videtis aquâ?
An prout æternis ſignavimus omnia ceris,
 Sic temerè fas eſt, jus revocare meum?

Nullâ palpatur mobilitate Deus.

Non hæc, quæ terras, agit inconſtantia, cælos,
 Fata trahunt, nullis impedienda moris.
Tota priùs fracti procumbet machina mundi,
 Absq; ſuis facibus ſtelliger axis erit.
Solares poſcet reddi ſibi Cynthia currus,
 Inq; vicem Lunæ, Sol agitabit equos;
Omnia perverſo miſcebunt bella tumultu,
 Cum ponto, fient ſidera, corpus idem.
Quàm mea de minimo decreta rigore remittent,
 Aût lex imminui lege ſequente feret; (eſt,

Lex ſemper durat non variata Poli.

Quod Divûm ſcripsêre manus, adamante receptum
 Non premet anteriùs, lima futura, datum.
Sol interpoſitâ pluviali nube ſepultus
 Deficit, & triſtes funere terret agros.
Æmula ſubjecto propiori corpore Phæbe,
 Obſcurat fratris lumina magna ſui.
Nos nihil, aût noſtræ vitiat conclavia mentis,
 Seduci nullâ mobilitate poteſt.

Nempè

Nempè decet, perſtans ut ſit ſententia Regum;
Juſſaq; difficili retrotrahenda modo.
Diſſidium populi, mutatio crebra parabit,
Mens ſibi non conſtans, certa ruina ſtatûs.

Lata ſemel, nunquàm reprobent decreta Monarchæ.

Qualiter in ſuperis fureret diſcordia regnis?
Si tot in humana, peſſima, lege parit? (prorsùs,
Quod ſemel eſt placitum, placet omni tempore
Pugnam mens superûm candida ferre nequit.
Semper idem mihi ſervet opus, manet una poteſtas,
Nunquàm vel pretio, vel prece mutor ego.
Quidquid ab antiqua veſtrorum ſtirpe parentum,
Quidquid in extremos fluxerit usq; dies;
Omnia præſenti nos majeſtate movemus,
Non rapior, rapto, diſtineorvé, loco.
Quid fieret? ſi lata ſemel ſententia mortis,
Vos modò de ſtygijs ferret in aſtra vadis?
Jus ſtrictum eſt cœli, nullo caſſabile facto,
Laxari nullâ conditione poteſt.
Vim tamen hîc patitur, dum juſto fulmine tactum,
Optatis ſolvi de Phlegetonte ſcelus.
Quis probet? illicitis nos velle favoribus uti?
Mutariq; novo poſſe tenore Deum?
Judicibus rectis, ut mentis pace fruantur,
Vitetur, Lybico pejor ab angue, favor.

Vix licitus poterit Iudicis eſſe favor.

 Sic

Sic, aut immeritis premerentur crimina pœnis,
Aût impunè DEVS vellet habere malum.
Ambo vetat pietas, nec atroci ſævior irâ,
Nec vitijs hominum laxior eſſe poteſt.
Lex erat, ut vetito poſtquàm de ſtipite pomum
Carpſerit, æternâ morte periret homo.
Carpſit, & ex ipſo, lethi reus exſtitit, actu,
Miſcuit injuſſis ſe Libithina cibis.
Plùs tulit hîc damni, modico quàm ſenſit in eſu,
Mox author geminæ perditionis, Adam.
Nam præter ſolitam, quæ cuncta animalia tangit,
Influxit generi mors ſtyge tincta ſuo.

Noxarũ gravitas, è Regum ſorte petẽda eſt.

Peccati gravitas ex Majeſtate jubentis,
Non ex materiæ conditione venit.
Multiplicat pænas culpæ plerumq; minoris,
Poſthabitus ſceptri conſtituentis honor.
Sic, quia convicto ſtyx eſt ſancita parenti,
Quâ fieri poterit, liber ut eſſe queat?
Vos quoq; ! ſed ſtimulant deceptæ parcere genti,
Spes magnæ Nati, conſiliumq; mei.
Iam certò patiar gemebundâ voce moveri,
Tangunt Iſaciæ ſidera noſtra preces.
Quàmvis plùs omni nos fœdere ſponſio ſtringit,
Quæ facta eſt Thario ſacrificante ſene.

Iuravi

Iuravi lapsam Iudæ curare salutem,
Quod meritò studijs exequar ipse meis.
Res est conveniens miseros juvisse cadentes;
Numina desertis auxiliata viris.
Quò magis abscedunt humanæ munia curæ,
Hoc res officijs pluribus astra juvant.
Auxilium cœli quoties implorat egestas,
Subsidio mundi deficiente venit.
Vndè licet vestro non poscerer ore recenti,
Præsidium lapsis Regibus ipse darem.
Flexit nos pietas, flexit stygis ira malignæ,
Factaq; jam superùm mitior aula, solo.
Creditis? intererant medijs mea Numina pænis,
Vindex in querulo proximus ore fui.
Audivi gemitus; Phlegetontica verbera vidi,
Iustitiâ vestras dissimulante preces.
Ipseq;, sed vetuit Divinæ gloria mentis,
Conabar, cœlo compatiente, pati.
Frænabat tenerum, quo vos complector, amorem,
Et tulit affligi pignora nostra Themis.
Non est hæc virtus, liquidis ignoscere culpis,
Et quos pæna manet, velle levare reos.
Imò licet quosdam leni natura beavit
In miseros animo, cor muliebre dedit;

Officium sceptri, velle juvare suos

Crudelis Princeps qui non mala civica plectit.

Cùm

Cùm locus eſt, juſto debent ſævire rigore,
Sic parcendo nocent; mortificando juvant.
Par eſt dos animi, licet impar illa videtur,
Eſſe pium lachrymis, criminibusq; trucem.
Hinc quia jam facta eſt læſo vindicta Trioni,
Afflictæ Regum fas meminiſſe rei.
Parcimus exulibus, quos arctat iniquior orcus,
Quàmvis nos multùm eſt inficiata Sion.
Sed quoniam captos ſerpentis fraude parentes
Novimus, error erat, creverat undè ſcelus.
Hoc ego præcipué moveor, finemq; malorum,
Oppoſito Nati pectore, ferre volo.
Immemor offenſæ, pro pœnis, munera cœli,
Pro flammis Erebi, flumina viva dabo.
Immemor errorum, quàmvis mens læſa repugnet,
Compeſcam Iuſti ſanguine, virus Adæ.
Immemor irarum, quibus æther ſaucius ardet,
Hæredem mittam, leniat aſtra, meum.
Virginei veniet caſto cum flore pudoris,
Cunctarum mundi Rex ſpecioſus opum.
Hoc ſupereſt vobis, ut adeptæ grata ſalutis;
Cœlituum tellus fœdera longa colat.

ELE-

ELEGIA III.
Legatus è Cœlo Angelus, ad Virginem MARIAM.

A Superis venio, placidi mandata Tonantis
Laturus, Patres ut petiêre Tui.
Stelligeras arces, summi conclavia cœli,
Attigit humanæ spes animosa precis.
Dum pereunt, miseris nihil est audaciùs unquàm,
Horrida Balænæ naufragus ora petit.

Asperiùs miseris, nil solet esse viris

Sic ubi se toto præclusos æthere cernunt,
Nituntur studio fervidiore Patres.
Et licet aligero satis est DEVS inclytus orbe,
Flammiferi cingunt pegmata vasta Duces;
Attamen immenso terram complexus amore,
Cælitibus vestrum vult sociare genus.
Majestas nullo cohiberi limite summa,
Sêu dando, lapsos sêu relevando, potest.
Non genus excutitur, non quis sit sanguinis author,
Pro libitu merces, datq; negatq; suas.

Majestas nullos patitur supremæ teneri Legibus.

Nos sumus ad quævis implenda negotia prompti,
Nos volucris rapimur conditione Noti.
Ille tamen potiùs studijs mortalibus uti,
Ille cupit Sion supplicis ore cani.

Sêu libet armatâ cœlum legione tueri,
Sêu nos obſequio ſemper adeſſe ſuo;
Anticipat minimos præceps reverentia nutus,
Primus quiſq; DEI juſſa præire labor.
Edomitus nuper ſuperorum Lucifer armis,
Quanta ſit aligeræ, teſtis habetur, opis.
Quo gravior validis contendit viribus hoſtis,
Hoc magis extollit laurea parta Ducem.

Hoſtis ab inſigni robore palma vi ret.

Inſignes Cherubin ſtant aurea limina circùm,
Ac avidâ mentem cognitione legunt.
Quâ patet, aût quali Numen ſe lumine prodit,
Quâ ſuperûm magnas luce revelat opes;
Quo ciet invictas acies, & claſſica Verbo,
Quid jubet, arcanâ combibit aure Cherub.
Excubias Seraphim flammis ardentibus implent,
Continuo certat munere miles amor,
Plebs minor immenſum vocali laude tributum,
Reddit, in Angelicos diſſociata choros.
Infra ſceptra jacet jubar immortale, Throniq;
Allambunt Dominos maxima Regna pedes.
Summa poteſtatum ſeries, & Purpura Princeps,
Hîc parvo nimiùm detumuêre ſitu.
Stellarum cunei, vigilantia ſidera paſſim
Submiſsâ gaudent attremuiſſe face.

Aût roseo meritos accendunt igne triumphos,
Aût sternunt Regi lucida colla suo.
Hinc in regificos currus dat plaustra Bootes,
Inde petunt sanctum Gnossia serta caput.
Victrices Aquilas, reddit Iovis igneus ales,
Quam suus exercet sub Ganimede labor.
Stellifer Eridanus flammis bellacibuus ardet,
Siderea clangit voce canorus olor.
Omnia sceptrigero properant servire Tonanti,
Quæ miscet superis fax peregrina choris.
Imperiis Sol cedit equos, sêu currere jussit,
Sêu DEVS aversis astra negare rotis.
Illius ad nutum stetit auxiliaris Idumæ,
Iosue Amorrhæos interimente Duces.
Sed quis dinumeret famuli conamina cœli?
Affluit officio quisq; Planeta suo.
Sic, licet & stellis, & honoro munere Divûm
Eminet, humanâ vult tamen arte coli.
Plùs amat ingratæ consortia perfida gentis,
Quàm nos, mortali captus amore DEVS.
Nam quod in Angelica nequiit subsistere forma,
Virgineâ Verbum se benè carne teget.
Indolis hoc summæ est, humiles attollere sortes,
Auxilioq; seqvi debiliora suo.

Regia mens gaudet debiliora sequi.

Exiguas atomos, neglectis mercibus auri,
Sol ad ſe radio ſubveniente trahit.
Balthica vel paleas, tenues vel ſuccina ſtupas,
Vi tacitâ, gemmâ proximiore, tenent.
Sic DEUS ætheree miſſis ſplendoribus aulæ,
Infirmo credit munera magna luto.
Mortalis, ſiquidem, puerilia membra, figuræ
Induet, & cœlos exſuperabit humus.
Angelicæ capient hominum mandata cohortes,
Excubitor quâvis ſerviet Ales ope.
Omnibus in trivijs, nè quid patiantur iniqui,
Adjunctus lateri præcavet ipſe comes.

Ingenio Domini, ſubjacet aula ſui.

Regiâ quô placidis inclinat purpura votis,
Tota ſimul ſtudio flectitur aula pari.
Undè licet parvæ, quâ quis ſit origine, cunæ
Oſtendant, pretium regius auget honor.
Virgo DEI Genitrix, & jam Regina Polorum,
Tu captiva tenes dotibus aſtra tuis.
Par tibi non dabitur, non audiet altera Mater,
Quæ ſuperet noſtros Virginitate Choros.
Tu major cunctis, meritâ præcellis amuſſis,
Tu niſi naſcenti congrua ſola DEO.
Cujus eras digitis, opus admirabile, facta,
Hic claudi gremio deſtinat ipſe tuo.

Quod

Quod polus, & pelagus, quod non capit area mundi,
Virginis est alvus Numinis una capax.
Aurea per nigras decurrit vena cavernas,
Gemmarum partu testea concha tumet.
Clari fit genitrix adamantis squallida rupes,
Matre fluens scabrâ lucida fulget onyx.
Plùs est! & longè majori munere plùs est!
In lutea ventris se tegit arce DEVS.
Plùs est, quàm Regum, Reginarumq; Parentem,
Scribi, sidereo gignere posse Patri.
Tu paries, superûmq; simul cantabere Mater,
Ac hominum, gemino præficienda globo.
Nam pariter cœlos, pariter tutabere terras,
Communis labor est, mundus, & astra Tibi.
Ecce Tuam Numen se jam demittit in aulam,
Florida Virgineo sanguine membra replet.
Spiritus accendet fœcundis viscera flammis,
Cœlestis tenerum cor solidabit amor.
Nulla maritalis patieris damna cubilis;
Convenit hîc castus cum Genitrice pudor.
Non eadem ratio superos concernit agendi,
Quæ terrestre solet clarificare genus.
Quod magnis homines gaudet superâsse triumphis,
Id præstant motu Numina celsa levi.

Quod superat vires hominum, natura polorum est.

Viribus adverſos mortalibus aſtra labores,
Connaturali proſperitate ferunt.
Ordine naturæ, res parvæ currere poſſunt;
Vim faciunt juri, quæ graviora, ſuo.
Quid majus tanto, quo te dignantur honore
Numina? quod meritum grandius eſſe poteſt?
Hinc licet inſolitis nunc imprægnabere flammis,
Nulli ſic Genitrix, es paritura viro.
Ipſe DEVS tali voluit niſi lege venire,
Quem Tu Virgineâ ſimplicitate capis.
Et tamen, à primis dum conderet omnia cunis,
Illi conſtituit terrea Regna Pater.
Illi cæruleâ gentes diſtinxit arenâ,
Stellarumq́, notis, Iſaacæa domus.
Ille Canopæis per longa pericula terris,
Eduxit Tharios nube calente Duces.
E paſtoritia projecto pumice, funda,
Illi contrivit colla ſuperba David.

Hæredi magno quæritur omnis honor.

Multorum palmis, uni calet ira Nepoti,
Hæredi ſpolium quæritur omne ſuo.
Cùm ſpes eſt magnæ, quam ſignet Laurea, prolis,
Accendit patrias ad benè geſta manus.
Plùs tamen ipſe ſuo quondam lucrabitur enſe,
Quem ſapiens verbum, quem pia lingua dabit.

Vndiq́,

Vndiq; victrices domitâ feret è styge palmas;
Extremi metuent Iessæa signa Duces.
Pinguescent leni fastigia maxima pace;
In summis stabit collibus æqua Themis.
Ipse reget pressam censu sub paupere plebem,
Iudicio stringet crimina quæq; suo.
Ipse salutari mærentia pignora jure
Proteget, obtulerit quæ domus omnis inops.
Sentiet æthereas cicurata calumnia pœnas,
Ac humili referet verbera dura prece.
Ille pari senio, veteri cum Sole vigebit,
Antiquas Lunæ qui fuit ante faces.
Omnis progenies illi primordia debet,
Vltimus, hinc ducto floret honore, nepos.
Ipse velut stillans in candida vellera nimbus,
Aût in inane cadens defluet unda solum.
Sublatâ Phœbe, Themidos, paciśq; serenum,
Restituet terris ejus amica dies.
Imperio geminum cohibebit Tethyos æquor,
Et fluvij ripæ circulus orbis erunt.
Æthiopis supplex illi cadet aula coronæ,
Linget inaccessam rex inimicus humum.
Insula quæq; feret; feret aurum regia Tharsos,
Ac Arabi pietas juncta Sabæa throno.

Omnis

Omnis adorabit metuendum Curia Numen,
Serviet Authori quælibet ora suo.
Tanti Mater eris substrato sanguine Regis,
Tali, Virgo Parens es valitura Duce
Non metuas, quod cæpit opus, jam finiet ipse,
Tu legeris tanti pars bona sola statûs.

ELEGIA IV.
MARIA respondet Cœli Nuntio.

DIcere de fictis, quibus evolat Icarus, alis,
Aût de Pergameo, qualiter arsit, equo;
Dicere bellaces, quâ crescant mole, Gigantes,
Illi, quæ nunquàm noverat, ut quid, id est?
Non, quia me vestro spernam sermone requiri,
Hæc loquor, oranti cuncta retecta DEO.
Sed cùm mens horret prolemq́, virumq́, pudica,
Audivisse mihi talia verba grave est.
Nec novi, nec nosse volo, quid Cynthia præstet
Matribus, atq́, quoto deficit orbe tumor.

Cura pudicitiæ, dos est opulenta puellis.

Certa fui semper, quod castas fama puellas
Plùs, quàm vel dotes, vel bona munda juvant.
Utq; coruscantes ornat data gemma coronas,
Sic decet innocuus Virginis ora pudor.

Hinc est, quod pauper, pariter, cêu dives ametur,
Cura pudicitiæ cûi pretiosa suæ est.
Est etiam, fateor, licitis bona gloria tædis,
Quæ retinent sancti jura, fidemq; thori.
Bethulis adscito mansit proba conjuge Iudith,
Nec temerat molles fax verecunda genas.
Profuit, effusis per colla niventia canis,
Hæredem vetulæ progenerasse Saræ.
Et quamvis gemini divellant viscera fratres,
Fæcundo gaudet pulchra Rebecca sinu.
Ruth quoq; casta fuit, licet inter brachia Booz,
Est tamen omne mihi nomen inane viri.
Horreo, vix aliquod nostras it fœdus in aures,
Nescio quæ, timor est, pronuba jura sequi.
Nec me spes generis, nec regia munera tangunt,
Nec vis Patritiæ summa locanda Domûs.
Sæpè dolent multæ; sed frustra plangimus acta;
Nec faciendus erat, nec fugiendus amor.

Non benè curatur, qui reprobatur amor

Instruor exemplis, & ne sim fabula duplex,
Altera deplorans, altera nupta, precor,
Quod licet invenias, aût me parere jubenti
Fingas, quâ fieri commoditate potest?
Nec mihi vir quisquàm, nec Cypria fædera nota,
Quis volet ignotis hæc adijsse vijs?

Altera quæratur, quæ magnis aptior astris,
Quæ poterit voto dignior esse tuo.

Serò malis, artem vitio superante, medemur

Prudens, quos damnet, non intrat Navita fluctus,
Serò tumente volet pænituisse freto.
Non ego me, cœlo possum supponere, falli,
Sed rebus tantis quomodo danda fides?
Quando erit? aût quali medio? quo teste? quis hospes?
Quas genitor patriâ ponet in æde dapes?
Omnia, si jam sic, proût optant sidera, cedant,
Cujus ego, nè me respuat, uxor ero?
Turbor, & ut gemino distractus flumine remex,
Nescio, quâvé vehar, quâvé reducar aquâ?
Hinc superûm pietas curis majoribus ardet,
Hinc pavet ingenti mens stupefacta bono.
Sed levis umbra viri, cêu detestabile virus,
Terret, quo semper Virgo carere velim.
Non igitur placitum, quod defers, Numinis odi,
Sed me, post Numen, postulo, ne quis amet.

Castus amor vario, non amat igne trahi.

Vix est hic purus, vario qui diffidet igne,
Et per multa procax castra vagatur amor.
Imò nec est dignum, superis amplexibus, unâ
Idalias etiam jungere velle faces.

Aût

Aût ego Sponsa DEI, nec enim dedignor amari,
Aût ego nullius prorsùs amoris ero.
Ipse mihi vires, quibus hæc in vincula librer,
Munus amicitiæ deferat ipse suæ.
Quæ me spes animat? quorsum fiducia surgit?
Tellus à superis discrepat ista polis.
Nos genus infirmum, duroq; è semine Pyrrhæ,
Nos sibi mortales progenuêre viri.
Et veluti pelagus, vel mobilis aufugit aer,
Sic vitam rapidis fluctibus ire putes.
At DEVS æterno firmavit cardine cœlos,
Nil ibi terrestri de Genitrice satum est.
Qualiter ad tales ego perluctarer amores?
Aptior est jungi flamma, fretumq; simul.
Non ego me tanti, quàmvis tua lingva fatetur,
Æstimo, sidereis ut fruar una thoris.
Est satis Ancillam scribi; cur Cœlica Conjunx?
Cur dicar Genitrix ambitiosa DEI?
Si tamen hîc cœli manet immutabilis ordo,
Nec pudet æthereis me sociare thoris.
Fiat, ut æternâ Divina potentia lege
Sanciit, auxilium, qui jubet, ipse dabit.

Tu

Tu superis referes, quod nos ambage relictâ
Credidimus? certam dent tua verba fidem.

ELEGIA V.

MARIÆ Novemmensale cum Patre æterno colloquium. Magnificat anima mea Dominum.

ILla tuo, nuper, Mater dignata favore,
E Parthenoniâ scribit in astra domo.
Non quod præsumam tantùm mihi posse licere,
Sed quia componi mens tremefacta volet.
Obruit insuetum villana mapalia sidus,
Mergitur injusto pondere pressa ratis.
Nec mea res, Tecum, missâ certare salute,
Nî faciant veniæ spem tua verba meæ.
Nam scio magnorum palmaria limina Regum,
Supplicibus populi sæpè patere libris.
Hæc, igitur, quæ scribo tibi, non muneris instar,
Non in amicitiæ symbola mitto meæ;
Quid tibi par dederim? quæ, tantos lucrer amores?
Qualia sint manibus congrua dona tuis?
Sed Dominum supplex brevibus tentabo petitis,
An tenues Princeps excipit aula preces?

Insvetas, major cō fundit gloria, mentes.

Quæ proba, supplicibus panditur aula viris.

Nec

Nec mihi res dubia est, quod Tu mea munera damnes,
Quæ vix excepto molior ista DEO.
Nil tamen id frænat, cupidam Tibi scribere pennam,
Officij memor est subdita dextra sui.
Non quasi sidereæ, quod læderet, apta coronæ,
Ast Ancillari nomine scribo Tibi.
Immutant animos magni plerumq; favores,
Auctâ re, puduit nomen habere vetus.

Cum magno, magnus crescit hon●re tumor

Sed mihi nulla meam rapiunt oblivia mentem,
Quæ fueram maneo, nec piget esse, tuam.
Non poteram læti suavissima gaudia sensûs,
Aligero protunc exposuisse Duci.
Sêu quod inassueti me terruit hospitis ala,
Sêu quod erat calami nescia nostra manus.
Nam cui scripsissem? titulum quem pagina ferret?
Nullos admisit janua nostra procos.
Mens quoq; conspecto superûm, propè rapta Ministro,
Non valuit primos ægra cavere metus.
Tot felix oculis, tamen obscurabitur Argus,
Cùm Phæbus subitâ deteget ora face.
Quantùmvis audax, primis cor in ignibus hæret,
Nec sibi, mox ratio territa, compos erit.

Audaces etiã perstringit gloria vultûs.

Vt tamen adverti, quæ tunc mihi gratia venit,
Cujus ego sceptri debita mater ero!

Multa meum lassant incognita gaudia pectus,
Vt ceræ, liquidis diffluo victa bonis.
Quæ satis ampla dabo, tot gratis carbasa ventis?
An velut Ægæo velificabo freto?

Non est par superis; suada diserta bonis.

Extenuant superæ conamina maxima dotes,
Munificos impar dicere lingua polos.
Cùm vim Divinæ commentor sedula dextræ,
Nec sequitur captus res penetrata meos.
Quod fuit insolitum strato decumbo tapete,
Atq; dies ægros, plena pudoris ago.
Sola fides animat; non nôrunt fallere cœli;
Vestiri ficto verba colore negant.
Vtq; metus illos pepuli spirantibus astris,
Magnificat Dominum mens, animusq; suum.
Quid Tibi par inquam? pulchrâ Sol lampade fulget?
Novi, quod solis gratia tota tua est.
Aspicio solidis, ut inhærent lumina, sphæris;
Vt nitet incenso lux radiosa globo;
O! quantùm, dixi meus est speciosior Author,
A quo sidereæ lucis habentur opes.
An non plùs servat, quàm defert luminis orbi?
Non plùs flammigero sole calente, calet?
Si liceat, vellem sine me, nè surgeret unquàm,
Phœbus ab Eöis qui solet ire fretis.

Nam

Nam prout Isaides, nostro de sanguine, scripsit;
Deposuit sedem solis in orbe DEVS; Psal. 18.
Et quasi Sponsus amans, auctis formosior astris,
Ibit de thalamo, fronte micante, suo.
Tunc ego spectarem, quâ majestate niteres,
Quàm minor est Domino solq;, sororq; meo.
Qui dat opes mundo, dat, quas habet amplius ipse,
Nereus, in fluvios quas agit, implet aquas.

Nemô dat, ut non plùs quàm dedit ipse gerat.

Tunc ego non quererer, nè me nox aspera Ditis,
Obrueret, cùm Tu lux mihi certa fores.
Quid? quod ego nunquàm, saltem sperare volebam,
Quem peto, jam nostros occupat ille sinus.
Quàm pretiosa fides! quàm stans sapientia Verbo!
Ut me possideat, deserit astra DEUS.
Fac quod malueris, sêu divæ pignore flammæ,
Sêu quâvis aliâ nos ratione reples;
Tu modò sis præsens omni cum lumine mecum;
Et, nisi nunc revoces verba, quod absit, eris.
His mea læta bonis, tanto perfusa favore,
Magnificat Dominum, mens, animusq; suum.
Sæpè, quid armorum palmaria robora possent?
Quàm parvâ Sion regna subegit ope?
Quàm bona, mirabar Solymæi pectora Martis!
Dum toties Persas edomuêre viros.

Vni,

Vni, quis credat? tot prælia cedere dextræ,
Vnum, mille viros posse fugare virum.
Persequerer cunctos? pelagus tentare viderer,
Plurima quod summæ flumina laudis habet.
Quot cuneos stravit maxillâ vindice Samson!
Quàm parvâ Iosue tot domat arma manu?

Signa replent animi, non corpus inutile bello.

Virtus, non numerus; generoso dimicat ausu,
Et melior timidis dux Leo, mille feris.
Hæc ego dum penso, dixi, meus anteit omnes,
Qui docet ad laurum, Dux, celerare Duces.

psal. 100

Confregit validos, irâ vix canduit; hostes,
Clangere feralem vix tuba jussa diem.
Hic gentes perimet Iudex, superûmq; ruinas,
Implebit lecti flore nivente gregis.
Multorum fera sceptra premet, quatietq; trisulco
Fulmine, qui summum proposuêre caput.
Quis tunc subsistet? quem densa tuebitur hasta?
Quem later Assyrius, Dardaniusvé teget?

Serò volet captꝰ pænituisse reus.

Correxisse fidem, jam tunc spes tarda salutis,
Dum sceleris pænas exigit ipse DEUS.
Tali jungor ego, talem dant sidera Sponsum;
Magnificat Dominum, mens, animusq; meum.
Præcipuè dum fausta sacræ Capitolia Romæ,
Vidi purpureis sæpè virere rosis;

Cæsa-

Cæsareâ vidi frænari lege Canopum,
Ausoniis Iudæ subdita colla jugis;
Credideram Tyberim totas offundere gentes;
Euphratem tumidis exsuperare vadis.
O! quàm stelligerâ, majoribus ille triumphis,
Qui sibi me sociat, fulget in arce DEVS!
Ille mihi Sponsus, mundo qui præstat utroq;,
Qui regnatrices sufficit ipse domos!
Scilicet Attalico radiat quicunq; sub auro,
A superûm largâ dote resultat honor.
Ille mihi! sed quo me flammeus abripit ardor?
Magnificat Dominum mens, animusq; suum.
Scribere plura volem, si non vocer esse molesta,
Atq; rudi lædam te pietate meâ.
Sic mihi, dum nollem scriptis nocuisse, nocerem,
Et foret insani res bona causa mali.
Quo plùs Te meditor, quo plùs Tua Numina penso,
Plùs mihi diminui, destituiq; putor.
Vt solet ad Libanum parvus decrescere collis,
Aût majora penes lumina, flamma minor.
Sola meam firmat, quæ condidit æthera, mentem,
Omnia de sterili vis fabrefecit humo.
Hæc me, spe tenuem, superis accommodat aulis,
Magnificat Dominum mens, animusq; suum.

E cœlo quævis gloria magna venit.

ELEGIA VI.

Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.

QVanta meos recreant, à Te data gaudia vultus,
Non poteram Domino, non retulisse, meo.
Vivo Tibi; nec me potiùs mea commoda tangunt,
Quàm tua; sic vitæ causa ferere meæ.
Te quoq; communi mecum scis laude teneri,
Velleq; de nostris participare bonis.
Sic fluit, ac refluit rivo variante voluptas,
Cêu vaga Mæandri currere ripa solet.
Nunc à Te facili meat in nos gratia fluctu,
Nunc redit expletis, in mare versa, cadis.
Vnde tuos reddis, qui nos auxêre labores,
Solatur, credo, te meus omnis honor.
Vtq; mihi vestræ, pretio sunt munera famæ,
Sic vellem causas vos tenuisse meas.
Fingere, si possem, nam quæ te ficta laterent?
Deijcerer medijs intumulanda malis.
Tunc ego, quâ cuperes nos mente juvare, viderem,
Affectu fruerer non satianda tuo.
Protinùs ipse voles, mæstæ solatia fronti,
Milleq; lætitiæ suppeditare modos.

Protinùs

Protinùs, ut spero, tristis mea staret imago,
Ante tuum, cœlo compatiente, thronum.
Omne, quod infesto posset me tangere luctu,
Arceres; pluviæ discuterentur aquæ.
Quidquid inest fati, quo turbarentur amici,
In caput avertit fulmina quisq; suum.
Utq; ferunt lætas, sic res patiuntur iniquas,
Quos stricto verus fædere junxit amor.
Da breve mærori spatium, nostræq;, tuæq;,
Id fidei pretium non populare feres.
Tu, quâ pace novo, spectares, vulnere lædor,
Quali fronte mihi compatereris, ego.
Quid mihi cum lachrymis? pleno dum fonte propinas,
Et fundis largo gaudia summa freto.
Exultare meus violento spiritus æstu,
Cernitur, ut Domini est notificata salus.
Mens Astris immersa suis, jam terrea sceptra
Despicit, æthereas spe peragrante domos.
Ipsa novos stupeo succensi cordis amores,
Insvetos plausus, lætitiamq; queror.
Et jam Virgineas exire modestia leges,
Iam mihi culpando suspicor ire gradu.
Svavia persultant fervens incendia pectus,
Et torret molles fax inopina fibras.

Communis socio spesq;, laborq; viro.

Excedit vires, qui benè cæpit amor

Ut grandes pluviæ, riparum compede ſolvunt
Flumina, ſic, magno vis in amore modum.
Is patitur leges, qui parvo fomite cæpit,
Non qui majori ſidere fervet, amor.
Vix fragili patitur cohiberi pectoris arce,
Quod volet in veſtros cor ſaliſſe polos.
Aût ferit arcentes repetitis ictibus artus,
Aût nimiâ damnat viſcera caſta face.
Quo facies agitur, res arridere creatæ,
Et tellus comptis aucta videtur agris.
Sêu mea florigeros percurrant lumina campos,
Flos ſpirat patulis gaudia noſtra comis.
Et quaſi dicturas exertant lilia linguas,
Lætitiæ gentes admonitura meæ.
Quæq; meo toties carptæ rubuêre pudore,
Mirantur flammas, lætitiamq;, roſæ.
Sêu lucos adeam, læto placuêre virore,
Et flexas frondes, brachia viva, putes.
Aût mea muſſanti commendant ora ſuſurro.
Aût gaudent criſpis me tetigiſſe jubis.
Vmbra ferè tenuis, quàm blandior aura pererrat,
Viſa refrigerio nos animare ſuo.
Crediderim, ſimili formoſam fronde ſtetiſſe,
Cùm primum vidit, ſylva creata, diem.

Hic

Hic parvæ volucres, quibus est spes gutturis audax
Suaviter officijs accinuêre meis.
Laxaq; plùs solito modulantibus ora patebant,
Plùs solito visum guttur hiare tremens.
Hæ, mea, mox dixi, licet abdita gaudia nôrunt,
Cognita lætitiæ sunt ea signa meæ.
Res aliàs modicæ, venientia nôsse videntur,
Et dare, si quid inest, omina certa solent.

Vilia nõnunquàm certius omen habent.

Hinc oculos gelidis indulsi promptior undis,
Vndæ, compositis decubuêre vadis.
Et quasi Myrtoum cum sopijt Halcyon æquor,
Visa natare levi lympha petulca sinu.
Languida formosi servabant otia fluctus,
Cæruleum radio transiliente vitrum.
Aût mihi, subjunxi, blanditur terra, fretumq;,
Aût mea sunt omni gaudia nota loco.
In tua florentes converto sidera vultus,
Sidera, quid, lætis visa referre genis.
Sol magis ardenti terras circumdedit igne,
Notæ sunt cœlo, sideribusq; faces.
Quâ radij sparsos lambunt per colla capillos,
Auri multa volunt insinuare meæ.
Hæc foris est facies; alijs mea pectora flammis,
Mens alio superas exhibet igne vices.

Nempe ſalutares dum penſo Numinis arrhas,
Exanimis plauſu, lætitiâq; cado.
Nam ſuperant animi vires, incendia cordis,
Dicere lingua nequit, quo fluit amne boni.
Si Bethſabeidæ lego mollia cantica Regis,
Plùs videor flammas exagitaſſe graves.
Si cano Moſaicæ miracula cognita dextræ,
Senſibus, ac animæ ſpiritus omnis abeſt.
Omnibus exultant ſalientia viſcera fibris,
Eſt mihi cauſa ſalus, eſt mihi cauſa DEVS.

ELEGIA VII.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, &c.

ACcipis? an lectâ damnabis fronte, ſalutem,
Quam dabit Ancillæ pagina ſcripta tuæ.
Num quis inæquales non ſperneret illicò ceras?
Mancipÿ quas fert deſpicienda manus.
An benè lana rudis, trabeas & vellera Phryxi
Exhibet? aut teſtæ clara jugatur onyx?
Et ſatiùs Tyrio miſcetur villus honori,
Quàm ſi, ſim vilis juncta puella tibi.

Vtilius

Vtilius niveæ ſociatur glarea gemmæ,
Quàm ſummo cœli ſerva locetur hero.
Promerui noſtris, ut non ſit gratia chartis,
Quæ ſic audaci ſidera pulſo manu.
Sed quia Ieſſeos te reſpexiſſe penates,
Angelus æthereâ miſſus ab arce docet;
Iam vultus humiles, jam noſtros ſuſcipis auſus,
Quod juvat Ancillam ſcribere poſſe tuam.
Certa rigoroſis ſunt intervalla coronis,
Quæ faciles civi dant, adimuntvé thronos.
Imò paludatæ quem vix novêre curules,
Colloquitur Regi plebs operoſa ſuo.
Vult quoq; laxari metuendos purpura faſtus,
Vult levibus ſtudijs, ſtultitiâq; frui.
Hinc ſpes eſt miſeris, ut ſi quandoq; vacaret,
Principibus poſſent res memorare ſuas.
Vndè licet nôrim, quâ Majeſtate timeris,
Fingo tamen ſcriptis tempus adeſſe bonum?
Cùm tu ſidereâ forſan cingere coronâ,
Et ludet pulchro machina tota globo?
Tunc mea perveniet recluſis litera ſignis;
Vndè ſit? ex ipſo jam Gabriele ſcies.
Non tibi contingat, primâ ſtatione, legenda,
Quæ nos Ancillam, ſyllaba trina refert;

Cum tenui gaudet Regia plebe loqui.

Sed

Sed quod, & undè polo ſim jam benè cognita Mater,
Quæ gravet illæſos ſarcina magna ſinus.
Hæc meruit veſtros obtutus littera certè,
His ego, pertingam Numina, tuta notis.
Si tibi ſum vilis, gremio ſit gratia noſtro,
Hæc ſatis eſt famæ nobilis anſa meæ.
Informes atomi, radijs ſolaribus aptæ,
Quas ſuper àëreum devehit ille fretum.
Nil tamen hinc claro minuetur luminis aſtro,
Aurea non lædet ſidera turpe lutum.
Nec tua Majeſtas, humili tentata papyro,
Quam dedimus, quidquàm vilius inde trahet.
Quid tenues ortus, quid opes meruêre minores?
Quod mihi terra negat, largiùs aſtra dabunt.
Sed nec nos humiles, nec ſic abjecta ſupellex,
Hæc ut in obſequium ſit minus apta tuum.

Sæpè Deos meliùs menſa refecit inops.

Non meliùs gemmæ, vel obryzum Regibus aurum,
Quàm domat accenſam Trinacris olla ſitim,
Omnia ſunt uno tibi congrua dona tenore,
Sêu det inops hominum, sêu pretioſa manus.
Tu pretium rebus, quas tractas, ſufficis ipſe,
Quælibet ex merito res celebranda tuo.
Sic ego, parva licet, quia veſtris applicor aſtris,
Prima, ſed innumeris anteferenda Parens;

Inſigni

Insigni cumulor superorum dote bonorum,
Dum nostri pars est sanguinis ipse DEVS.
Incipis à nobis, nulla est sic bajula Mater,
An potes Ancillam plùs decorare Tuam?
Ecce, Tuo quondam præcellens pignore, dicar?
Gentibus & regnis una beata parens.
Si quæras dotes, quibus hæc in munera veni?
Nec mihi res tanti, nec mihi forma fuit.
Non sum virtutis, si quæ est, mihi conscia tantæ,
Ipse DEVS nostras dignificavit opes.
Hæc mihi tu præstas, cùm me prædicere Matrem,
Astra jubes, Nati regna futura mei.
Cantabor Genitrix, cantabor regia conjunx,
Communis mundi gloria dicar ego.
Vndè frui potero tantis Ancilla triumphis!
Quæ mihi tot populos fama severa domat?
Non ego tot vires, non tot traho robora Martis,
Quæ possent Thario cogere sceptra jugo.
Ut vastis domitor princeps metuatur in oris,
Per mare, per centum transvolat ense plagas.
Servijt Assyrijs contermina regibus Eos;
Servijt Isacio gens Nabathæa Duci.
Et Tyrus, & Sidon Iesseja sceptra tulêre,
Marmaricæ Solymis contribuêre nurus.

Quidquid ab Euphratis potatur flumine terræ,
Quidquid amat tumido spumifer amne Tygris.
Quæ jacet Armenio tellus affinis Araxi,
Subdit Idumæo cernua colla throno.
Nobis multiplici Ganges tulit æquore gemmas,
Frugiferis Sion Nilus alebat aquis.
Et quidquid toto limes discriminat ortu,
Ius Bethsabeidæ præsidiumq; petîjt.
His ego sat palmis, tot Regum laude valerem,
Tot canerer meritis Regia Mater Avis.
Tu misero mavis ancillæ nomine duci,
Contentus puero nos onerare DEO.
Grandis hic est titulus, cûi vincitur orbis uterq;,
Cûi Regum quævis subijciuntur opes.
Hinc simul occiduis, simul ortûs luce retectis,
Cantabor Mater Virgo beata, choris.
Iam mihi Romulei submittunt culmina fasces,
Tarpejæ summus defluit arcis apex;
Iam video nostris, præsagâ mente triumphis,
Aras, ac Vrbes, castra, togasq; frui.
Qui Rhodanum potant, quos sustinet ultima Calpe,
Muneribus nostris contribuisse student.
Qui Rhenum tranant, quos ripa binominis Istri
Alluit obsequijs eminuêre meis.

Quos

Quos procul Istulei dirimunt à Theutone fluctus,
Ante alios potior sunt mihi cura Lechi.
Hæc ego jam video, tenebris velata futuri,
Aspicio, necdum cognita regna mihi.
Quem fero, scire dedit, colimur sub nomine Matris,
Omne, beata vocat, viscera nostra genus.
His tamen officijs nondum me terra salutat,
Sed mens, quod fiet, vaticinatur opus!
Cantabor pueris, cantabor sæpè puellis,
Virgineos partus fama diserta canet.
Illa dies fecit, quâ nos sub paupere tecto,
Inveniens, vestram dixit Ephæbus opem.
Audieram voces, auditus Numina traxit,
Aligero fidei sunt data signa meæ.
Inveniam multas, (non sint rata verba loquentis,)
Quæ cuperent olim sic peperisse Tibi.
Invidiæ stimulis, aliquæ nos carpere quærent,
Non satis illustri me genitore satam.
Isacio quàmvis, sunt nostræ sanguine Ceræ,
Iessea regali fulgida stirpe domus;
Non tamen ad vestros par est mea gloria fasces.
In superûm titulos, parva decoris eo.
Confiteor, gemini nullis splendoribus orbis,
Æquari Domini munera posse mei.

Et licet augusto præsenter stemmate Regum,
Me tamen Ancillam non nisi scribo tuam.

ELEGIA VIII.

Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen ejus.

NOn satis apta manus scribendi deserit artem,
Quæ nimium donis est onerata Tuis.
Sic etenim nostros opplerunt sidera captus,
Vt careat vacuâ, penna tenenda, manu.
Officium dextræ est niveam pinxisse papyrum,
Dextram, divitiæ præpediêre tuæ.
Insuetâ volui calamum tractare sinistrâ,
Obruta plùs est, quàm ferre, sinistra potest.
Non sunt tot loculi, non sunt mihi scrinia tanta,
Non est, in superûm munera, cella capax.
Marmoreâ templi servamur in æde parenti,
Quam nisi lectus inops, parvaq; mensa replet.
Tu tamen innumeris undas splendoribus in nos,
Deficiunt ædes, deficit aucta manus.
Nec tanto recipi possunt ea flumina, nisu,
Quantâ Tu cœlo præcocitate fluis.

Scilicet

Scilicet hæc largis mens eſt innata Dynaſtis,
Ut vacuos nolint plebis habere ſinus.
Nam pudor eſt, avidâ vinci prece civis egeni,
Par brevis eſt ævo, quæ mora, dona negat.
Sic gravibus ſtudijs, alternâ certat arenâ,
Accipientis amor, diſtribuentis honor.
Nominis eſt parvi, nec claris alveus undis,
Qui grege ſiccari ſæpè bibente poteſt.
Sed dare deberes, non fundere munera, quæ nos,
Primâ dum premimur, mole ſequente premunt.
Hinc, ſi non compto veniat mea pagina vultu,
Munera ſunt culpæ cauſa vocanda meæ.
Vix aliquid plenâ potui Tibi ſcribere dextrâ,
Quam gravat aſſiduus, ſuſcipiendo labor.
Nec dociles pennæ, nec verba reſumere poſſunt,
Quot largis in nos defluit imber aquis.
Non tabulæ pigri, non ſolers regula Detri,
Sufficient dotes enumerare Tuas.
Et licet in quavis, ter mille, prehendere voce,
Quæ recitet cœli dona ſuperna, velim,
Non ſat adhuc habeo, numerum quæ tangere poſſent,
Quæ ſint Divinis conſona verba bonis.
Nunquid Arithmeticis ſphæras conjungere cyfris?
Aût Numen tentem ſtringere lege meum?

A ſolio, vacuas non decet ire manus.

 Quis

Quis numerus vestros poterit percurrere censu s?
Quas non par DEVS est, exsuperare notas?
Munera quæ præstas, non sunt ita cognita nobis,
Vt numero possint vel ratione capi,
Deficiunt apices, minor est hîc calculùs omnis,
Non calamus par est, non manus ulla DEO.

Immensæ Regū non numerātur opes.

Pauper amat partas ad computa cogere merces,
Ac avidas tenui recreat ære manus;
Regibus ignoti, quos servat Curia, census,
Et facili nequeunt dexteritate capi.
Nereus immensis distendens æquora regnis,
Nec quo, rivus abit, nec redit undè, videt.
Hinc ego me magnis cumulatam sentio donis,
Quæ dat fine carens, principioq; mihi.
Ipse suum misit, speciosæ frontis Ephæbum,
Diceret ut tenui cœlica jussa sono.
Dixit, & assensi; quæ par audacia detur?
Et potior fuerat nostra pudore fides.
Da veniam pennæ, quod discessisse videtur,
A te, narratis plùs operata suis.
Cùm loquor ad Dominum, toti mea carmina mundo,
Omni nostra putem, verba patere modo.
Sic me dignaris, tanti fero dona favoris,
Vt mihi sint omnes impare sorte thori;

Isaciæ

Isaciæ credo, nunquàm majore Parentes,
Sioniæ nunquàm dote fuêre nurus.
Plùs Tharijs ducibus tu solus idoneus Author,
Plùs pretij, famæ porrigis ipse meæ.
Non ego Leminiæ titulos admiror Edessæ,
Quæ fuit Arsacio celsa marita throno.
Sit licet Asverus Medo spectabilis ostro,
Sed meus & Medos, & Scythiam author habet.
Hoc igitur pulchrâ thalamo plùs glorior Esthrà,
Quo plùs Assyrio fortior Orbe DEVS.
Magna fuit nostræ dos hæc Labanitidis olim,
Auratos Labano surripuisse Deos.
Non ego, quid furtum, quid fraus turpissima novi,
Et tamen in lucrum, Numen & Astra fero.
Cessit parte suâ, cessit DEVS æthere nobis,
Invidiam verbo domat, adauctus amor.
Spiritus exundans, Pater implens, sarcina Nati,
Spem mihi totius ritè dedêre poli.
Hoc ego, non ideò quasi fastu percita, jacto,
Sed tua, nè lateant, quæ mihi dona facis.
Non sumus, ut fatear tanti, quibus ipse teneri,
Sanguineo nexu, fœderibusq́; velis.
Quod refero, placitis cœli debemus honestis;
Tolle quod est uteri, quid Tibi dicar ego?

Sic

Sic quoties memini, quoties tua dona renarro,
Nomen amo ſanctum quantulacunq; Tuum.
Non temerat magnas Bethlemæi mœnia Booz,
Cùm pauper laudat Ruth Moabithis opes.
Illa licet tenuis, nec tanto conjuge digna,
Sed mox jure ſui par reputata viri.
Ducitur à claro, vitæ pars, fama marito,
Jus ſequitur ſocij, nupta, ſorumq; thori.

Conſorti vir erit, illa corona viro.

Non equidem poterit Moabitis currere mecum,
Vir Iudex illi, Iudicis iſte DEVS.
Sed prout illa Booz gaudet laudare potentem,
Sic ego Divinam dicere lætor opem.
Nam quæcunq; cano placidi ſolatia Cœli,
Nomen amo ſanctum quantulacunq; Tuum.
An Tibi laude meâ ſum fortunâq; pudori?
Hoc mihi, ſi merui, ſignificare velis.

ELEGIA IX.

Et miſericordia ejus à progenie, in progeniem, timentibus eum.

D*Vm paro, Virgineam, ſuperis ſcriptura papyrum,*
Impar marginibus forſice demo latus;

Dum

Dum pennas hebetes culter ſciſſorius aptat,
Quas animus, nigrâ tingere tabe, foret;
Iam manus inſtruitur, tectæ ſuperincubo menſæ,
Excuſſit ſubitus verba parata timor.
Sanguis abeſt; tepidas cêu bos mactatus, ad aras,
Dum periјt plagâ lapſus hiante cruor.
Mens ſibi non compos, vario confunditur æſtu,
Audacis ſcripti præmia, terror habet.
Turbor, & excuſſo calamo, tabulisq; relictis,
In latebras ædis, matre ſequente feror.
Quæ ſimul ignoto me tangi vulnere vidit,
Pallidior gelido funere facta fuit.
Tunc ego verto pedem, nullo cêu pulſa timore,
Mærorem dominæ compoſitura meæ.
Applicor ad menſam, calamum, chartamq; capeſſo,
Quæ jam projeci munera, rursùs amo.
Dextra tremit; digitis triſti cadit omine penna,
Et tabulæ nivibus plùs riguêre ſuis.
Miror eos motus, ſecuraq; cœlitis Aulæ,
Vndè ſit, inquiro, qui gelat oſſa, pavor?
Firmiùs appoſui digitos, defixa papyro
Penna, parùm rectis linea ducta metris.
Nil juvat; ut folium quatiens violentior Eurus,
Sic mea non ſolito membra pavore tremunt.

Cor ſalit attonitum; fatis non ſola laceſſor;
Nempè mihi metuo, pignoribusq; meis.
Mille modis agimur, nec ſpes ea bella ferendi,
Neſcio, quis flammat pectora noſtra calor.
Tandem collecto, ſuperorum lumine, ſenſu,
Adverti, quod nos admoniturus eras.

Diſſociat quævis pectora fida metus.

Scilicet, & metui DEUS, unâ vult, & amari,
Gaudet amore timor, cura timoris amor,
Humanis tantùm lex hæc contraria ſceptris;
Hic ſemper metuens inſidioſus amat;
Non eſt certus amor, genitus formidine Matre,
Finitimis non ſtant arma, favorq; locis.
Nam vel amicitiæ quos mutua vincula ſtringunt,
Nil minùs indè ſibi, quàm timuiſſe putant;
Vel qui conſpicuos ducunt in caſtra pavores,
Nunquàm ſecuro ſtant in amore ſimul.
Tu ſimul & metui, ſimul & contendis amari,
Nobilis eſt, qui ſit partus amore timor.
Quid dubitem? multos quod terror junxit amantes!
Non amo? ſi juri præbeo colla tuo?
Quo plùs diligimus, plùs & metuiſſe videmur,
Æſtuat officijs alterutrumq; ſuis.
Absq; metu nunquàm potuit benè Numen amari,
Nec metui, preſſo prorsùs amore poteſt.

Viribus

Viribus alternis sibi suffragatur uterq́;,
Vbere communi lactat utrumq́; polus.
Hinc licet æterno Tibi devincimur amore,
Esse tamen nobis absq́; timore, nefas.
Diligimus vestri clementia sidera vultûs,
Horremus rigidæ fulmina sæva manûs.
Sed non ob pœnas, qui mos servilis amandi,
Pareo, nec propter tela trisulca tibi;
Sunt gemini fratres, diversâ stirpe pavores,
Alter enim pænis, alter amore venit;
Hic melior cunis, illum styx impia gignit,
Ille regit servos, hic pia corda juvat.
Non ego sic mêtuo, stygio glaciata timore,
Non benè cœlestes dextera tanget opes.
Natus amore timor, socijs nos adjuvet alis,
Sic ferar ad superos exspatiata Lares.
Hic Atavos Reges miserantibus intulit astris,
Hic genus extendit, progeniemq́; Patrum.
Qui Mystæ superûm, dum tellus sacra profanat,
Exactâ soli te coluêre fide.
Infames Sion lucos tunc forsan alebat,
Aureus invasit Iessea templa Dagon.
Plebs nihil intacti cœlo scelerata reliquit,
Diripuit sacros impia dextra tholos.

Uno sub dispar nomine, causa metûs.

Quæ tibi debebat Nabathæo thure calere,
Ara, fuit Grajo ſparſa cruore Iovi.
Illi ſuccenſis pepulerunt Tartara lucis,
Luſtrati flammâ, Veſuvioq́ Dij.
Pænituit Balaal triſti quod prodijt Orco,
Dum quam deſeruit, ſenſit in igne ſtygem.
Sic qui perpetuo ſuperos obiêre timore,
Progenie longâ, Principibusq́ virent.
Non tot formoſæ cinxerunt æthera ſtellæ,
Terraq́ tot pictis eſt variata roſis.
Non tot littoribus congeſſit pontus arenas,
Quot ſunt Iſaciæ Nomina ſancta domûs.
Quis memoret quantos Cœli ſensêre favores?
Cauſa fuit meriti, vinctus amore timor.
A Proavis, Atavisq́ fluunt, pia dona Sioni,
Et de progenie, progeniebus honor.
Magna Tui fulſit nobis clementia ſceptri,
Quæ multùm Tharios eſt miſerata Duces.
Magna meum recreat Cœli dignatio limen,
Noſtro dum proles corpore clauſa tua eſt;
Hinc amor, atq́ metus, gemino nos flammat honore,
Ex utraq́ Tibi parte placere velim.
Cùmq́ diu luctor, quo Te magis ordine laudem,
Vix aliquot timidâ carmina ſcribo manu.

ELE-

ELEGIA X.

Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

SExtus it à primo, quo me tuus Ales adivit,
Ægra trahens lentis tempora menſis, equis.
Creſcit onus ſanctum, nec jam celare, quod orbis
Aſpicit, aût mens eſt, aût pudor ipſe jubet.
Sed fuerat ratio, nec vos latuiſſe putamus,
Cur mihi veſter amor pernicioſus erat.
Namq́ ſimul modico res eſt detecta tumore,
Anguſta Infanti clauſtra fuêre DEO.
Quï mea prætextu defendit pignora Sponſi,
Iam voluït tacitis nos repuliſſe vijs,
Credideram, noſtræ vos tunc arcana ſalutis,
Quàm mihi Ioſepho notificâſſe priûs;
Nec monui facti, cœlo contenta ſciente;
Commodiùs quædam res latuêre viros.
Quæ mihi tunc gravidæ, ſinè conjuge, fama fuiſſet,
Cantarer toti fabula nota Sion.
Quod generis damnum portâſſet Regius Hæres,
Si minor hinc capitis lege jubente foret?
Cumq́ Parente ſua meritos non ferret honores;
Connexos premeret publica pœna duos.

Sed vetat iſta DEVS; ſenſit tua brachia Ioſeph,
Agnovit ſubitò, quàm Tibi dextra potens.
Tunc ſtudium mutans, me, quam neglexerat, ardet,
Atq; frui caſto gaudet amore ſenex.
Hæc ego dum penſo Divini robora ſceptri,
Occurrunt oculis plurima ſerta meis.
Non equidem noſtram, quæ mollibus aptior arrhis,
Expedit, atq; decet, ſcribere bella manum;
Quæ niſi Moſaicos aſſuevit volvere libros,
Aût vaga de carpta ducere fila colo.
Quid? quod Sithonij ſtridentia claſſica Martis,
Semper Virgineis ſunt metuenda choris?

Virgineas urit Martia flamma genas.

Prævaluit pietas, quæ fortia geſta ſilere
Abnuit, & laudi quærit ubiq; viam.
Non metuit ſpinas, ut ſugat Hymettia Mater,
Mel ab odoriferis ambroſiamq; roſis.
Per ſentes & acuta volat faſtigia Phænix,
Vt legat arſuro cinnama ſicca thoro.
Cæruleas corpus jacit urinator in undas,
Vt pariat dives gemma reperta lucrum.
Sic mihi, ſic rigidi miteſcunt arma Gradivi,
Vndè Tuum video creſcere poſſe decus.
Scilicet ætheræ comperta potentia dextræ,
Diſperſit tumidos absq; cruore Duces.

Quos

Quos cor agit stolidum, quos mens inflata fatigat,
Depressêre tuæ prælia sancta manûs.
Si centum validis assurgunt castra maniplîs,
Exhibeant vastum Martia pila nemus;
Phlegræos animent obstantia scuta lacertos;
Protegat armatum ferrea squamma latus;
Ipsa triumphales aquilæ nitantur in astra,
Et feriant celsos æra sonora polos;
Exiguo nutu, nec motæ robore dextræ,
Sternitur ante Tuos machina quæq; pedes.
Conteris Arsacios memorandis cladibus arcus,
Barbara stat verbo jussa sagitta tuo.
Non Arabes clypei, non Dorica pectora thorax,
Non Dolopes galeæ, Myrmidonesq; tegent.
Exæquant summos cineri tua brachia colles,
Et minor est atomis obrutus igne Gigas.
Non Tu Martis eges, nullo Tibi vincitur ense,
Quæritur aût bellis auxiliare solum.
Te Duce, Te telo, Te vincis milite terras,
Te premis armigeri vela superba freti.
Persica, quo fuerant Tibi castra subacta labore?
Cùm decies septem millia cæsa simul.
Parvula vis auræ, vel adusti sulphuris æthra,
Consumit vili scuta, Ducesq; nitro.

Quodsi

Quodsi belligeris placeat quoq; viribus uti,
Quæ Tibi fertilior pectora gignet humus?
Arida jussisti cuneis bellacibus ossa
Stare, statim fortes ossa stetêre viri.
In validas pinguis libratur gleba phalanges,
Hæmoniæ velant crania nuda jubæ.
Arma, viriq; simul viridi cum cespite crescunt,
Fluctuat exertis ensibus alta seges.
Titanum monumenta putes, quos impia tellus
Edidit, ac fulmen pressit in antra potens.
Itq;, reditq; novum, quo Tu direxeris agmen,
Rursùs pro placito statq;, caditq; Tuo.
Ferre jubes lethum? nôrunt jam temnere vitam,
Non dubitant alio vulnere posse mori.
Sæpè nec armorum strepitu, nec milite quoqvàm,
Evirnit castris plurima palma Tuis.
Militat accensus districtis ignibus æther,
Suppetias Domino dant elementa suo.
Si jubeas ventos; veniunt in prælia venti,
Sêu Boreas nivibus, sêu furit Eurus aquis.
Si mare; bellaces armant sua Cærula fluctus,
Affluit obsequijs officiosa Thetis.
Hæc in Erythræis Ægyptia signa procellis,
Hauserat, Isacios dum petiêre Duces.

Ezechiel. 37.

Infelix

Infelix Pharao cöeuntibus obrutus undis,
Nereus obnixos sorbuit ultor equos.
Cêu pecus impulsum fluvio, velut agmen olorum,
Visa Paraetonio signa natare salo.
Tunc regredi saltim, si non superare volebant,
Æquora, sed repulit terra, fretumq; viros.
Vteris & cœlo; patienti lampade Phœbus
Vidit Amorrhæas erubuisse neces.
Vt nihil Isaidæ memorem certamina David,
Cûi satis ad bellum funda retorta fuit.
Grandia, proh! quanto dejecit culmina saxo!
Hoc ipso cæsus, quem tulit, ense Gigas.
Hæc Tua, quis dubitet? metuenda potentia fecit;
Est semper pugnæ certa corona Tuæ.
Hos populos nobis in dotem, regnaq; donas;
Et quascunq; Sion celsa cöegit opes.
Imperium mundi nostrâ deponis in æde,
Cùm puero tradis sceptra, polosq; DEO.
Quam Tua vim præbent? quãtos dant brachia laurus?
Quid non Cœlesti Marte domare potes?
Hos ego, compos adhuc, poteram siluisse triumphos?
Quæ premeret linguam pœna futura meam?
Dumq; lego palmas, dum Cœlica robora miror,
Præsidio gremium, meq; subarrho Tuo.

ELEGIA XI.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

MIror, & expecto, summi moderamina sceptri,
Quo cohibes gentes, Rex super astra, Tuas.
Nullus enim status est, nullius culmen honoris,
Vt non hinc leges, imperiumq; ferat.
Omnia constituis, Tua sunt fastigia Regum,
Abjectæq; etiam conditionis opes.
Si Tibi mens belli? subitis stat mundus in armis,
Et Tuus, ut par est, indé triumphus erit.
Pacis amor subijt? nullâ viget hostis arenâ;
Tu pacis leges, Tu regis arma DEVS.
Quod superet? nihil est, vestræ molimina dextræ,
Hinc genus, hinc omnis purpura sacra venit.
Non minùs & tenui vis prospexisse manîplo,
Et spes mancipijs est DEUS ara reis.
Par miseris, Patri fraternos præit amores,
Est cæptis auspex, est in agenda comes.
Nulla Tuas unquàm lassabunt tempora curas,
Non vacat à superis motibus ulla domus.
Tu Simoënta Phrygem, Tu reples Tibridis æquor,
Vltima Te Thule, Te fera Bactra vocant.

Omnibus in magnos casus est omnia Numen.

Tu

Tu quid in Isiaca, quid agatur in Artace parte,
Quæ vix est nobis cognita terra, vides.
Omnia præsenti circumdas regna favore,
Omne loci spatium suspicis, absq; loco
Sed licet ipse sat es sceptris, tamen illa minori,
Permittis Dominos conditione sequi.
Nôrint se fungi, quos ambit purpura Princeps,
Officio Divæ, præsidioq; manûs.
Sunt nisi concessi, quibus utitur orbis, honores,
Serò tamen repetent jus foris astra suum.
Cur igitur terras infelix ambitus auri
Decoquit? ad tempus, quas petit, explet opes.
Omnia, dum cessit nostris DEUS atria votis,
Jus independens, se penes ille tenet.

Usus Principibus, res patet ipsaDEO

Nulla sibi tanto spes est blandita favore,
Ut fugiat vires, auxiliumq; Tuum.
Nulla cothurnato subvecta superbia fastu,
Despicit ætherei jura pavenda fori.
Exsuperent quoscunq; Tuo de munere colles,
Est Tua par, homines indè movere, manus.
Quoq; magis tumidas audent educere cristas,
Hoc graviore premit vulnere pæna sequens.
Ira Tibi quamvis justo lenita favore,
Nec nisi compulsus fulmina sæva jacis.

Attamen invitas extorquent crimina flammas,
Dum nimis audaci sanguine peccat humus.
Non feret hinc aliquos mitis tua dextera nævos,
Si feriant meritum debita tela scelus.
Num Tibi sive necis, sêu vitæ gratia par est,
Ius in mortales cudis utrumq; domos.

Sævities mitis, parcere velle malis.

Vix erit is clemens, qui parcit plectere debens,
Impunita novis viribus arma vigent.
Nec mihi, nec cuiquam venit hinc injuria sceptro,
Si vitam recipit, quam dedit ipse DEVS.
Qui potis est nimiò, vel maxima culmina nutu
Sternere, quis sævum dixerit esse reus!
Qualem quisq; statum, quales habet orbis honores,
Novimus arbitrio cuncta stetisse Tuo.
Sic prout attollis, poteris deponere rursùs,
Non opus est ullis, ut timeare viris,
Sic dejecisti Reges de sede potentes,
Exaltans humili nomina nata loco.
Quidquid in Augustos erexit gloria fasces,
Cœlesti debet, quæ premit astra throno.
Lætitiæ causas, & apertæ gaudia mentis,
Civibus, ut poscunt, Principibusq; paras.
Vrbibus indulges pacem, vel in arma reducis
Sceptra, suum bellis Te statuente modum.

Nulla

Nulla perennanti pars terræ flore triumphat,
Quam non munifico foveris imbre poli.
Nulla proceloso Martis spes fracta tumultu,
Quam Tu, non faustâ sorte levare potes.
Tot capuli, tot signa, Tuis in nutibus hærent,
Condere sêu gladios, stringere sive jubes.
Quas pateris gentes exscindi vindice ferro,
Nullis defensæ viribus esse queunt.
Quos Tyrio placuit nudari murice Reges,
Ocyus in vili delituêre casa.
Quos humili rursùs jubeas excedere tecto,
Protinùs in summos exiliêre thronos.
Si libet exemplis nostros decernere sensus,
Hæc dabit Assyriâ Rex Babylone satus;
Qui nuper Medis fulsit trepidandus in armis,
Instar edit macri gramina sola bovis.
Informes villi supplerunt vellera Regum,
Cornua frons jactat, quæ diadema tulit.
Innumeras acies, Chaldæi robora Martis
Restituunt socij per juga quæq; greges.
Sit satis hic unus, plures quis tangere possit?
Nè vis Divinæ littus adire puter.
Extendi metuo, nè lædam carmine longo,
Quæ semper trepidâ scribere curo manu.

ELEGIA XII.

Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.

SCribere si nollem, metuens gravis esse Tonanti,
Argueret nostram mensa referta manum.
Hanc Tu munificis sinè more favoribus imples,
Et plùs quàm possit ferre tulisse jubes.
Quæ sic Attalicis conjunx paritura maritis,
Inter opes regum, deliciasq; fluit.
Non ego Dardanides puto tali nectare potas,
(De veteri est sanguis Pygmalione) nurus.
Non ego Lydiacos condi pretiosius esus,
Nostris, quos mittunt Numina, credo cibis.
Hoc uteri pretium, tenerâ de prole timetis;
Quæ Matris fruitur commoditate suæ.
Pascimur, ut lauto partûs alimenta tenelli
Amne fluant, nam plùs sarcina major eget.
Nec mihi Te soli tam largo munere præbes,
Sed quicunq; vices esurientis agit.
Non locus, aût vilis quemquam fortuna removit,
Non genus, aût parvæ limina pressa casæ.
Quo plùs abjectæ, quis deficit ordine sortis?
Vestrarum ferri, plùs sibi sentit opum.

Quæ

Quæ sunt tam viles, quas gratia præterit ædes?
Quæ sunt exigui squallida tecta Laris?
Tu, quem vix oculus miserum dignatus honestus,
Aspicis, atque statim spe meliore levas.
Imò latebrosis, quæ servant antra cavernis,
Et pauper celat corpora nuda pudor;
Obtegis, & recreas miserarum busta genarum,
Obscuros reficis dote, ciboque specus;
Stent acies, sit densa manus, satis omnibus unus,
Congrua tot servis das alimenta Tuis.
Deficiunt inopum dextræ, non deficit æther,
Vix superest, capiat, qui Tua dona sinus.
Lauta videbantur Persi convivia Regis,
Quæ centum steterant octoque ginta dies Esth. 1.
Principibus, puerisque simul data copia mensæ,
Quos genus Arsacium Parthaque regna dabant.
Munificâ voluit gentes dux lege tenere,
Quas priùs indomito subjugat ense sibi.
Attamen exhausti sunt tantis luxibus amnes,
Invenit certum gratia larga modum.
Tu quô plùs tribuis, plures superesse fatemur
Thesauros, nunquàm clausa paterna manus;
Nam qui fluctivagis justam das piscibus escam,
Et comples parvas, nè moriantur, aves,

Quid

Quid non humanis velles impendere rebus?
Quos Tua dilectos reddit imago Tibi.
Sæpè sub hybernis nivibus latet obruta tellus,
Omnia brumali prata furore rigent,
Et tamen, ut vivant, mirâ Tu consulis arte,
Dum volucres querulo te petiêre sono.
Aût natæ vacuâ carpuntur in arbore gemmæ?
Quas vigor extremâ fronde fovere solet;
Aût rostris fodiunt, vel acutis unguibus atram,
Quâ Sol à nivibus fortè retexit humum.
Hæc avibus præstas, quid non præstabis amicæ
Genti? quâ nil est plùs in amore Tibi?
Quos alit ignavo nimiùm mens ebria fastu,
Nil de cœlesti muneris orbe ferent.
Divitijs etenim saturos dimittis inanes,
Implorant modicam Sceptra opulenta stipem.
Non mea res Danaos metris inducere Reges,
Quos tamen, ut pateat vis Tua, scire decet.
Nil habuit majus nummoso Lydia Crœso,
Ante tamen Cyri palluit ille pyram.
Ornamenta Midæ paribus quis censibus æquet?
Auriferum loto qui facit ore fretum?
Ille cibos inter, pretiosaq; fercula languens,
Debuit exangui succubuisse fame.

Dives

Dives erat, vacuo qui poma repercutit ore
Atq; sitit medias Tantalus inter opes.
Hæc ego dum narro, sit quanta potentia vobis,
Ac in gentiles jus cano quale Duces.
Nulla sub extremo majestas substitit axe
Mundi, non vestrâ quæ teneatur ope.
Attamen Isacijs plùs semper civibus offers,
Gratior ac Danais est Idumæa Sion.
Dant documenta Patres, quos Tu de sede Canopi
Motos, Angelico pane pluente reples.
Dat puer intactus rabidorum dente leonum,
Quem cibat in clauso cœlica dextra lacu.
Plura Tibi molirer adhuc exempla referre,
Sed modo vix tantum pagina nostra capit.

ELEGIA XIII.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

SIt Tibi cura mei, si spes est Pignoris ulla,
Accelera visis in mea tecta notis.
Iam novies oritur pleno soror aurea vultu,
Nostraq; Luciferis tempora raptat equis;

Non equidem ſcimus, quot anus Solymeja cenſet,
Ad Sacra Lucinæ perficienda, dies.
Num defecturo metuenda eſt Cynthia cornu?
An potiùs creſcens fax ubi ſigna dedit.
Anteit, aût ſequitur decimæ confinia Phæbes,
Sarcina depoſito jam ſpolianda ſuo.
Id mea ſimplicitas, id mens pudibunda recuſat
Scire, ſed hæc memini, dixerat Anna Parens,
Præterea ſævis nos illa doloribus angit;
Quanti dulcis honor Matribus ire ſolet?
Cur ego formidem, Divinæ conſcia dextræ?
Subijcitur Domino, ſpesq́, metusq́ ſuo.
Quis ſcit? an inſolito, quod fas eſt credere nobis,
Hæc mea non veniet palma recepta modo.
Lugeat illa, ſuo tepuit quæ conjuge Mater,
Occidat ingenti victa dolore Rachel.
Quid mihi cum luctu? nullo nos arſimus igne,
Idem natus erit, virq́, Paterq́ meus.
Tempus ubi fuerit matura avellitur uva
Et Ceres è culmis labitur ipſa ſuis.
Vndè meis dices ſubit hæc audacia votis?
Nè timeam, noſtri ſpes facit ipſa ſinûs.
Attamen in terras transfer feliciùs aſtra,
Si cœli Dominum ſum genitura, precor.

An

An pudet Ancillæ? correxi sanguine Mater,
Quod mihi fortunæ, consilijq; deest.
Te, per opem vestram, Te per tua Numina Numen
Postulo, per gremij pignus herile mei;
Adsis, fœcundo dum me Lucina labore
Obruet, & curæ pars mihi magna cadet.
Dum fueris præsens, cûi toto tradimur usu,
Spero meum levius quodlibet esse malum.
Semper ego tenui, quod quæ promittis, adimples,
Nec fuit in verbis spes mea capta tuis.
Videlicet casus premerent, & iniquior hora,
Mars ferus, & parvæ damna timenda rei.
Si vel Medus atrox, vel Idumen pervolet Afer,
Tharia Marmarico regna terantur equo;
In nos stelligero labatur fornice cœlum,
In nostrum refluant fasq;, nefasq; caput;
Impavidam ferient, quæcunq; pericula mentem,
Dum Tua sum, fereris tu simul esse meus.
Nota mihi tua sunt, Atavis quæ verba dedisti,
Qui redimet Iessen, Iesseus author erit.
Tot jam longa probos tenuerunt sæcula Reges,
Nulla tamen Patribus lux fuit orta meis.
Nos sequimur Proavi de gente binominis ortûs,
Est Isráël dictus, qui fuit ante Iacob.

Hinc ubi jura Domûs cum veſtris confero donis,
Nec fallet, quod ſim progenitura DEVM.
Quod tot originibus video, tribubusq; negaſti,
In mea convertis tecta modeſta decus.
Credo, recordatus, Tua quid miſeratio fixit
Hâc Iſràél, puerum ſuſcipis arte tuum.
Nam, quia de veteri manamus ſtirpe Iacobi,
Iacobides redimet ſceptra Paterna meus.
Vndè licet varijs ageretur patria fatis,
Bellica dedecori ſigna recepta fugâ.
Cæſa Sion toties, toties in vincula rapta eſt,
Non poterit, dixi, capta perire Sion.
Adveniet, noſtro fortis de ſanguine Princeps,
Qui Thariæ gentis diluet omne probrum.
Hæc ego; nam veſtræ nondum conclavia mentis,
Quæ modo jam ſcimus, nota fuêre mihi.
O! utinam noſtris dicebam, cederet annis,
Hic honor, ac utero gloria tanta meo.
Iam fero, quod volui, quanta eſt dignatio cœli?
O! quàm certa fides eſt tribuenda Tibi?
Nunc ego, ſi Parthis in prædam tenderet armis,
Si volet, ipſa capi, cum regione Sion.
Si ferus à Tanai junctam Scytha figeret haſtam,
In ripis Heſebon, Cedronijq; freti.

Si

Si vice conversâ populus regalis Idumæ
Abductus, sterilem Thracis araret humum.
Nunc ego, non metuam, nè tot mala bellica nostram
Spem possent ullis præcipitare modis.
Quæ tu dixisti, fieri mandata necesse est,
Stat superum verbis intemerata fides.
Hoc facit, ut credam, si totus corruat orbis,
Nè nimiùm jussis posse nocere tuis.
Hoc facit, ut vincti licet irent compede Reges,
Isacium perimi non genus omne putem.
Insultet victis, ut vult cervicibus hostis,
Libera, cum jubeas, colla futura scio.
Hoc facit, ut subitum, si terras obruat æquor,
Diluvij tumidas enatet orbis aquas.
Fulmineis totus, si candeat ignibus æther,
Et tumulet geminum parva favilla globum.
Ipse cinis nostris, iterum flammabitur astris,
Cêu solet è busto surgere solis avis.
Projectus Syrios, ita tempestate volente,
In fluctus, reperit littora certa Ionas.
Quem renuit navis, Balænæ suscipit alvus,
Et servat piscis tuta carina feri.
Quid tibi non avidis parere volatibus optet?
Quæ res imperium visa negare tuum?

Nec falli possunt superi, nec falle re nôrũt.

Terra nihil, polus atq; fretum, nihil educat aër,
Quod fugiat, summæ jura subire manus.
Hinc, quia jurasti, factæ non immemor arrhæ.
Expectata meis gaudia reddis Avis.
Obsequitur natura tibi, dum Matris habemur
Nomine, nec patitur vim tolerare pudor.
Tot steterant Tharij propter mea munera Reges,
De quibus & vester cum Genitrice Nepos.
Et jam sidereas ambit maturior auras,
Virgineâ cœlo parvus in arce locus.
Isráël exulta? primâ cum luce videbit,
Iessæum noster Rex diadema puer.
Hæc tamen est meritis indebita gratia nostris,
Tota mihi Domino res placuisse fuit.
Non ego vel curas, vel matrum tempora nosco,
Omnia consilijs, perficis ipse Tuis,
Respicis in Iacob, quia respexisse decebat,
Iuramentali pro ratione datâ.
Non ullis igitur nostro de sanguine gestis
Sed vestrâ fateor cuncta stetisse fide.
Ergò priùs medio Sol obscurabitur axè,
Luna celer stabit, terra natabit aquis;
Quàm mea vocales cessabit reddere laudes,
Quæ tibi tot debet munera, parva Domus.

ELE-

ELEGIA XIV.

Sicut locùtus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula. Eucharisticō MARIÆ post partum.

AVt præ lætitiâ (prout accidit) aût ego facto
Nescio, quis Matrum progenerâsse dolor?
Sed genui, dulcisq́; mei fiducia partûs,
In tenero ludit Matre locante sinu.
Quod plùs; Magnanimum Iudæ de stirpe Leonem,
Absq́; cruentosa morte Leæna tuli.
Ex uteri pelago Phæbeâ lampade major,
Orta Iacobæis stella petita thoris.
Non tamen aùt ortum liquido sale lachryma tinxit,
Aût rubuit tristi palpebra mersa freto.
Id Tua vis fecit, nè quæ parit omine cæli,
Communi fieret semiperempta malo.
Non ego sum Nachoris, non sum Libanitis amara,
Aût si quæ vixit Mesopotana Nurus.
Vt vel discordi lasset mea membra duello,
Vel longo proles multiplicata metu.
Et Genitrix non nupta vocor, me fertilis ipsâ,
Desuper ingenuum luce replente latus.

Factum est, ut fueras ad nostros sæpè loquutus
Mosaicâ Verbum lege citante Patres.
Sicut Thariades vestro percepit ab ore,
Sicut Abrahamidæ semina sancta Ducis.
Et Iacob, & claro qui floret sanguine Iesse,
Amosides prout est vaticinatus olor.
Sicut ab Aligeris audivi Virgo Ministris,
Omnia, jam video fine potita suo.
Edidimus Numen, DEVS est de Virgine Natus,
Conservas placitum, nil variando tuum.
Nempè, nec hostis atrox, nec lenti sæcula mundi,
Imminuent vestram, labe fluente fidem.
Et potior tellus, quâ sidera, sede morari,
Aût Phæbus missis ire pedester equis.
Mutari species, defixaq; lumina cœlo,
Cæruleis terræ posse natare fretis.
Quam tua vel modico confundi verba colore,
Aût vim promissis exoluisse tuis.
Pagina non capiet, si persequar omnia scriptis,
Vix fas est primo tangere facta labro.
Ductus erat mæstas Sarides mactandus ad aras,
Talia tunc fieri sacra jubente DEO.
Ipse rogum defert humeris, manus attinet ignem,
Ipse, nec obtrectat, victima sancta sibi est.

Progreditur

Progreditur patriamq́ domum, Matremq́ relinquens,
In designatum Patre sequente locum.
Iam pyra conceptis ardebat torrida flammis,
Fert Pater armatam in pia colla manum.
Obstat amor, DEVS esse jubet, reverentia major
Fit superis, Isaac funera lætus habet.
Vtq́ litaturum Tharius Rex sustulit ensem,
Cœlestis tenuit brachia magna pugil.
Alea versa statim; Saridæ supponitur hircus,
Filius hinc grato cum Genitore redit.
Sed memor officij, senior quòd præstitit Abram,
Præmia dat terris vix capienda DEVS.
Mille throni cedunt, quos possidet orbis uterq́.
Nescio, quæ regum non cumulentur opes.
Per tua jurasti Thario fastigia Patri,
Vt stellas, clarum multiplicare genus.
Nec tot in Oceano bibulæ numerantur arenæ,
Quot feret Isacius pignora celsa thorus.
Hinc fluit in Iacob, cognato fama triumpho,
Quæ stabit nullis inficienda malis.
Mox alios, aliosq́ beat promissio Reges,
Longùm mansuri spes bona facta throni.
Hinc puer Isaides Patrio surreptus ovili,
Alter Idumæas Rex tenet unctus opes.

Præpositus Cisidæ, nè nostro debita juri,
Sceptra, quis ac Iesses speret habere tribus.

Idem Divinus perstat ubiq; favor.

Perstat in æternum, stabilisq; novissima mundi,
Divinæ vocis, qui fuit ante favor.
Si licet extolli, nos illâ stirpe creamur,
Nos dedit Isacidæ linea recta Iacob.
Vndè quod es Patribus Tharidæ, quod es ipse loquut9,
In nos decreti vis fluit usq; Tui.
Tu memor antiqui, quo nos dignaris, amoris,
Donâsti famulam Matris honore Tuam.
Non quod ego merui, sed quod Tibi gignere jussa,
Quæ fuerit Iacob fax oriunda domo.
Hic meus est Genitor, laus duratura Nepotum,
Hic consanguineum fecit habere DEVM.
Illi sum Genitrix, alio licet ordine vobis,
Hinc DEVS est, noster Filius, indè Puer,
Quæ nunc sic genito dabitur par gloria Regi;
Tempora, quæ sceptris sunt statuenda suis?
Quæ feret aula modum? quis limes regna tenebit?
Quæ stringent Tharium, littora vasta salum?
Tempus ego dixi, meus est sinè tempore Natus
Ille thronis certum datq;, negatq; statum.
Non priùs Isaciæ poterunt sterilescere gentes,
Quàm totus merso splendor ab orbe cadat,

Ipse

Ipſe tuas aliquo cohiberes limite vires,
Quem ſcimus nullo limite poſſe capi.
Ipſe tuis finem priùs immortalibus aſtris,
Quam noſtro generi tempora certa dares.
Nam meus Iſacides, ſimul eſt DEVS, aſtra, ſolumq́;
Æquali prorsùs conditione tenet.
Vndè prout nullo cinguntur Numina fine,
Sic manet Iſacius ritè perennis honor.
Tuq́; quod & præſtas, ita vis regnare Sionem,
Duret ut immemori lege ſubacta Tibi.
Aſt ego, nil optem meliùs quàm cedere terris,
Et coram vultus ipſa ſtetiſſe tuos.
Vt quæ nunc levibus concredo munera chartis,
Iam poſſim præſens dicere ſola Tibi.
Nec tamen hoc à Te (jubeas niſi fortè venire.)
Exigo, ſidereus frænat abire Puer.
Non meus, ut videat, prurigine tangitur ardor,
Quæ cœli facies? quàm Tua regna patent?
Sed Tibi conjungi, plenâ te mente bibiſſe,
Et calor eſt, animi ſedulitasq́; mei.
Plùs ego quid poſcam? cum noſtro pignore totus,
Totus ades, cœli copia facta Tui.
Hæc tamen, ut noſtris ſit major gloria ſcriptis,
Te velut abſentem littera miſſa petit.

ELEGIA XV.
Genethliacon Nato ex MARIA Virgine CHRISTO Regi Judæorum.

REgia Sidereus premit incunabula Princeps,
Non defecturis spes animosa thronis.
Ex Iesse genitus, Numen de Numine magnum,
Signârunt curas sceptra, poliq; suas.
A Patre cœlesti mortalis fama Parentis,
Hinc minor, indè Patri floret honore pari.
Astrorum terræq; bono venit author utriq;,
Mundigenis præstans cœlitibusq; choris
Cæsaribus plùs est, quo Cæsare machina gaudet,
Iessea sidereas purpura jungit opes.
Plaudite jam sociæ vestro sub Principe gentes,
Quas genuit tellus, quas aluêre poli.
Vltimus at quis erit? quo limite cingitur æther?
Si tamen esse potest, ultimus orbis ovet.
Accensi niteant astris melioribus ignes,
Publicet Hæredem cælica flamma suum.
Clariùs ac alias submotâ Plejade, surgant
Rege poli terras introeunte, dies.

Miretur

Miretur Thule, miretur Cimmeris umbra,
Cur ſic illuſtri nox ſua luce cadat?
Ipſe, quidem ſibi clarus adeſt, & luminis author,
Ipſeq́, quodcunq́, eſt, utile lumen habet.
Si tamen externis augetur Nereus undis,
Et cumulat pretium floribus, alga minor.
Non minùs æthereum famulantia ſidera Regem
Officio poterunt conciliare ſuo.
Hinc petat, à Phœbo quæ ſuevit, Cynthia lucem,
Et pleno genitum præferat ore DEVM.
Sed longè meliùs lotis argentea bigis
Prodeat, ac ſudo dum micat illa polo.
Hinc Sol purpureos, quales dat Regibus ortus,
Derivet, thalamo rex meat ille ſuo.
Omnis honor, longo procerum qui deficit uſu,
Corrigit hinc ſenij tempora luce novâ.
Quilibet hinc menſes formoſior inchoet annus,
Et primam ſtudeat menſis habere diem.
Eſt aliquid placuiſſe DEO, nec abeſſe triumphis,
Quos ſtatuunt, & agi Numina vera volunt.
Interea ſileat Mavors, & in orbe remoto,
Credere qui renuunt, depopuletur agros.
Barbara ſanguineum teneat Bellona flagellum,
Quo, paſtos hominum funere, pellit equos.

Arma bifrons claudat ſtridenti cardine Ianus,
Et flectat geminum ſub nova ſceptra caput.
Pax rediјt mundo, ſuavi cum Principe pacis,
Quàmq; priùs; fructu pax meliore ſtetit.
Felices coëunt in libera mœnia cives,
Et quivis Patriâ ſoſpes in urbe manet.
Vtq; vagabantur, ſimili modo pace vagantur,
Innumeri Solymæ per ſua prata greges.
Nulla ciet Latijs ferrum tuba Martia caſtris,
Nec Rutulus Trois vir pavet arma viri.
Non Italum Tyberim Lybico premit agmine Pœnus,
Non Tyrios Italâ Scipio Claſſe ſinus,
Gallica ſigna vacant, Rubicon pacatior undat,
Nec Pompejanas milite turbat opes.
Vomeribus gladios populoſus Cantaber aptat,
Hiſpani flavent jugera meſſe Tagi.
Non pavet Euphrates, nè Medum Xerxis aratrum
Rursùs in exiguas flumina ſcindat aquas,
Stat Macedo Perſæ quondam metuendus arenæ,
Nec premit indomitis Indica ſceptra viris.
Findit Arabs glebam, poſito jam mitior arcu,
Nec bellax prædâ vivere Parthus amat.
Non Iſter, ſocijs non Vandalus æſtuat armis,
Sedatas mulcet lege Tibiſcus aquas.

Tuq;

Tuq; triumphali toties redimita Corymbo,
Nulla moves Syrijs prælia Sion agris.
Est satis, Isacio quæsitas sanguine palmas,
Ad cunas Domini deposuisse sui.
Est satis, Isacides, quas hostibus ensis ademit,
Aût dare, quas sapiens Rex cumulavit opes.
Quæ nunc electæ desunt solatia genti?
Quæ bona? pacifico sub Duce Laurus erit?
Iam satis armorum, placidis nent otia curis,
Et nullo tellus milite pressa gemat.
Cùm DEUS est præsens, cui fas est dicere bellum,
Numinis auxilio, bellaq;, paxq; vigent.
Creditis? en blandæ frontis radiosa voluptas
Arcet Idumæo fulmina quæq; polo.
Infans quæ posset vagitus damna minari?
Nescio, quis tenero staret in ore rigor?
Hæc data nascenti summæ tibi gloria pacis,
Regibus, ut reliquis eximerere DEVS.
Intras armigeris vacuum legionibus orbem,
Cûi palmis Tharij, tot præiêre Viri.
Quot bellatrices Aquilas, quot scuta, thronosq;,
Infanti Proavus sub pede Iesse locat?
Cur tamen in vili decumbit pusio strato?
Est præsepe decens sidera ferre torus?

Scilicet

Scilicet adverſos ita lactabatur in uſus;
Aſperior, Solijs æquiparata caſa eſt.
Depexi Tyrio fuerant pro murice panni,
Majeſtas, fœnum; regia, caula rudis.
Regales thalamos Bethlemæa mapalia ſupplent,
Aulicus eſt Aſinus, Bos dedit omne jugum?
Sic magnis decuit naſci conatibus orbis,
Tali deferri talia Regna Duci.
Duriùs incipiunt, quos dura pericula poſcunt,
Parvus adhuc chalybem Struthio fortis edit.
Efformat tenero catulos leo Pœnus ab ungue,
Quo caleant tabo, quâ niſi rupe cubent.
Clementi cœlo, quos mollior educat aura,
Climata non poſſunt frigidiora pati.
Rara diu virtus, de molli ſtirpe triumphat,
Bellonæ pullos, cygnea pluma domat.
Imperium Romæ quanto nunc Conſule floret?
Et paſtoritius Conditor Vrbis erat.
Obtulit in ripa cunas Vxorius amnis,
Cumq; feræ ſuxit prælia lacte lupæ.
Cyrus Achæmenios extendit in Actia fines
Littora, trans Pharium duxerat arma ſalum.
Hunc labor, & Medi plebeja ſtrata coloni,
Hunc in ſpem Regni cura bubulca levat.

Sau-

Sauromates didicit, quis Vladislaus? ad Otrym
Simplicibus pannis, dum puer usus erat.
Sic licet Isacius gemino nitet ordine Princeps,
Quem cœli, & Patriæ sustinet aula suæ;
Attamen insuescit duros perferre labores,
Et gaudet brutis accubuisse DEVS.
Parce feræ genti, populosæ parce Sioni,
Nescierit Regem quod coluisse suum.
Parce, nec immensis, hic sit virtutibus obex,
A quibus emanat Iessea certa salus.
Parce, coronati genus insuperabile Iudæ,
Quidquid agit, vestro lumine mundus agit.
Sed nec ego possum Bethlehæmæ marmora rupis,
Pro vili quodam commemorare loco.
Omen id est superis, hæc sunt præsagia terræ,
Quàm felix Princeps, imperiumq; suum.
Infractam signat rupes stabularia mentem,
Vincula, perfidiæ fascia sacra meæ.
Cespes erat belli, manus illa miserrima fœni,
Quid pecudes aliud, quàm populare jugum.
Imperij flos, est genitrix cum flore pudoris;
Panis opem præstat, Bethlehæmæa domus.
Plaudite Iessæi Proceres? puer æthere summo
Labitur, Hebræas qui tueatur opes.

Kobierzyccius in vita Vladislai IV. Reg. Pol.

Surgit Idumææ, decus admirabile gentis,
Dent bellatrices classica fausta tubæ.
Fallor, an humanis arrident sidera votis,
Murice Natales irradiante dies.
En pastoritiâ valles mulcentur avenâ,
Multa Bethlemæos tibia sopit agros.
Mille canunt populi reboant cava tympana mille,
Et levibus sistris cymbala crebra sonant
Hinc querulæ modulantur aves, hinc nuntius ales
Prædicat excelsi munera magna DEI.
Quanta fluet miseris pax implorata colonis,
Cùm Princeps pacis regia sceptra feret.

ELEGIA XVI.

Sanctissimis Conjugibus MARIÆ & JOSEPHO, Panegyris Epithalamica.

DAphnica Phœbeæ deponite serta Camenæ,
Hîc meliora probi vela pudoris erunt.
Non satis Aonidum placuit lascivia laudum,
Non satis it mundis fons Aganippos aquis,
Virgineis nivibus vix est hîc casta papyrus
Et temerat Sanctos cygnea penna thoros

Cyrrha

Cyrrha Claroſq́ procul? Bethlemæa mapalia Divis
  Conjugibus brutâ ſimplicitate placent.
O! decus Iſacidum! par ô regale Parentum!
  Vivite; quos thalamis reddidit ara ſuis.
Vivite Siderei dum floret gloria partûs
  Quos beat, intactâ lege pudoris, amor.
Quantis luminibus? quâ majeſtate ſuperbit?
  Qui primus poterat vos ſtatuiſſe dies.
Tot Regum ſanguis, nova ſceptro pignora fertis,
  Quos recreat Nati cura beata ſui.
Tu Pater es mundi, quem dicit Curia Sponſum,
  Tu multâ ſerie Regia Mater eris.
Ieſſeus ex Ieſſe, deſcendis ſanguine IOSEPH,
  Ieſſea cognatæ Virgo MARIA tribus.
Sed caſto fæcunda ſinu conjungis utrumq́,
  Regibus Auguſtis ſideribusq́ genus.
Tu ſuperùm formoſa Parens tibi faſcia Princeps,
  Devincit clarâ poſteritate DEVM.
Excedit quosvis thalamos, Matrumq́ coronas,
  Non ſterilis, plenâ Virginitate thorus.
Gignere ſic vellent omnes, ſed nulla meretur,
  Nec poterit fingi carior ullus honor.
Vnius exſuperat multos tua gloria Nati,
  Vnâ prole tibi ſat numêroſa domus.

Imò nec ipsa potes tantum geminare decorem,
Sic paris, ut plures sit peperisse nefas.
Sic paris, ut nulli facias exempla maritæ,
Exhausta est uni vis, numerusq́; DEO.
Quæ par est, post te, Dominum portare Tonantem?
Soli majestas non onerosa tibi.
An quoniam fueras magnum paritura Leonem?
Sic nisi vis dici fœta Leæna semel?
An quia Iessææ dos hæc est maxima Virgæ?
Vt cunctas uno flore coronet opes?
Fortè, suo metuens natura ingloria juri?
Non alios partus Virginis indè probat.
Scilicet, ut nulli paribus concurrere tædis,
Sic nulli licuit, progenuisse parem.
Quas Tibi contulerim veteri de sanguine Matres?
Aût ex Inachia relligione Deas.
Exsuperas titulis casti decus omne pudoris,
Nulla potest thalamo par radiare tuo.
Absq́; Tibi simili, generas sinè labe Mariti,
Lege novâ strictus connubialis amor.
Nolo mihi veterem præsentent Numina Rheam,
Grandis Olympiaco quæ Iove Mater erat.
Regia quid Iuno? magnis jactata Mycænis?
In casto fratris jussa tepere thoro.

Quid

Quid Cybele genitrix, uteri fœcunda Deorum?
In nimia sterilis fertilitate fuit.
Quid Tethys juvenem removens ad Scyron Achillem?
Debuerat Nereô fidior esse suô.
Te penes augustis decedit gloria sceptris,
Est titulo quævis inferiore tibi.
Non Hecubam Troës Semelem non jactet Echion,
Illa licet Priamo nobilis, ista Iove;
Non Creusam Phrygius Matrem commendet Iûlus,
Desipiat Latio clara Camilla foro.
Damnat Amorigenam propè Te Pulcheria Cyprũ,
Nec sibi sat comptâ fronte Serena placet.
Ite procul Grajæ, Latiæ procul ite Parentes,
Vos olim falsi detinuêre Dij.
Inter Idumæas tibi par quærenda Maritas,
Hæ quoq; stant longo post tua serta gradu.
Hæ quoq; turba minor, licet ingens gloria Sion,
Inter privatos delituêre lares.
Non satis officijs arsit Regalibus Esther,
Et facie Noëmi deteriore fuit.
Non Pelusiaco Rachel sic Principe felix,
Aût Holophernæâ bellica strage Iudith.
Nulla tibi similem nutrivit idonea Natum,
Nullus eis Princeps, ut tuus, esse potest.

Quod si fertilibus quædam fuit agnita tædis,
Purpureo consors digna reperta viro;
Quidquid erat, sceptris illæ peperêre colendis,
Regi tot Regum Nomina Nata tuo.
Obsequeris sperata diu, damnumq; morarum,
Compensas meritis, progenieq; sacrâ.
O! nimiùm dilecta DEO, dilectaq; terræ;
Vive! Palæstinis spes opulenta thronis.
Vivite? casta simul pudibundæ pectora laudis,
Dum cadit immensus vestra sub ora DEVS.
Vivite? dum teneris implet vagitibus orbem,
Virgineumq; premit sarcina grata sinum.
Vivite? cùm vestris Infans DEVS hæret in ulnis,
E reginali pectore regna bibens.
Fallor? an is nostros protunc sugebat amores;
Lactasti mundo spem Dominumq; simul.
Vivite felices, par immortale, Mariti,
Moribus, & sociâ Virginitate pares.
Non ego Cumæos, non Nestoris apprecor annos,
Numinis affines exsuperate dies.
Non quia vester agit Princeps Hominemq; Deumq;,
Præsidibus vitam cedet utramq; suis.
Vivite! ter Sancti Mater, Nutritor, Alumnus,
Hæc est Isaciæ terna Corona Domûs.

ELE-

ELEGIA XVII.

Ad Aram Circumcisionis, Unctus in Regnum Judeorum, & denominatus, JESUS NAZARENUS.

REddita Thariaco, tandem sua purpura sceptro,
Quam sibi, cum Medo vis Tiberina scidit.
Regius Isacio manat cum sanguine murex,
Quem par est magni ferre Nepotis honor.
Ite triumphales per Iessea culmina voces,
Rex est, qui longâ laude petitus erat.
Arrisit cœlum, toto fremit æthere plausus;
Dant passim volucres omina fausta greges.
Aurea purpureis fulserunt sidera flammis,
Vt primum felix civibus orta dies.
Hæc mundi superûmq; capax, commune potentes.
Dividit in populos, astraq; magna jubar.
Hæc nitido Dominum terris latura triumpho est,
Cognatos nobis qui dedit esse polos.
Vtraq; regna feret, sceptro metuendus utroq;,
Immensus cessit cûi sua jura Pater.

Et

Et quia continuis geminum virtutibus orbem,
Ille replet, gemini Rex erit iſte globi.
Hæredi magno quasvis ex aſſe coronas
Deſtinat, ac unum ſuſtinet eſſe parem.
Se ſimul, ô! nullis decus hoc imitabile ſceptris!
Transfundit Nato mentis ab arce ſuo.
Se totum toti, toto communicat uſu,
Vt Pater in Genito regnet, & ille Patre,
Indiviſus honor, quia nec diviſa poteſtas,
Vnus amor, quia mens una duobus ineſt,
Quid moror? an liti Majeſtas tanta patebit?
Aût quis Idumæum jus reprobare volet.
Sufficiet dixiſſe, pari de Lumine Lumen;
Quem Pater imperio ſufficit ipſe ſuo.
Hic par non eſſet? qui vires combibit omnes,
Naturamq́ ſui, judiciumq́ Patris?
Sic clemens, ſic juſtus erat, ſic ille coævus,
Ante reformandam quàm ſubijſſet humu m.
Ergo bonis avibus còëant felicibus aſtris,
Hinc polus, hinc Abrahæ regia ſigna domûs.
Sêu quos Aſſyrij tollunt faſtigia mundi,
Sêu quos laurigeræ terra Sionis alit.
Quos vagus Euphrates diviſo præterit amne,
Quos rapidus latis Tigris inundat aquis.

Quiq́

Quiq; Ierichonios exercent vomere campos,
Quiq; tenent viridis florida rura Cades.
Iam Libani Cedros, Chaldæaq; mænia felix,
Accola, jam gratæ jugera linquat Haron.
Hinc Assur mect, indè Thabor, Carmelus & Hermō,
Agmina, bissenæ quæ peperêre Tribus.
Nec satis Isaciæ veniant ut in arma cohortes,
Aût quos, Thariades Marte recepit, agros.
Huc fera, jam Babylon depresso vertice supplex,
Huc properet tremulâ lampade nota Pharos.
Roma Palatinis quæ multum collibus ardet;
Hoc, locet indomitum, sub pede fracta caput.
Et simul omne suis quod paret juribus usquam,
Accidat Isacidæ subsidiale genu.
Sic quo plùs terræ gravibus compescit habenis,
Plura trahet nostro debita Regna Duci.
An pudor est sacræ submittere colla Sioni?
At frenos Nati fas tolerare DEI.
En tot sidereis effusus civibus æther,
Scrutinio celerat vota juvare suo.
Aligeris Dominus circumvallatur alumnis,
Quæ subsint, cumulat cælicus astra Pater.
Sic Cæli sociant, nostræ sua fœdera terræ,
Sic Regi jurant utraq; regna suo.

Vt ſteterant unâ, communia gaudia, valle,
Aliger indè frequens, indè corona Sion;
Ecce tiaratus ſubit intima templa Sacerdos,
Dat cava, quod Reges conſecrat, unguen onyx.
Templa coloratis radiabant fulgida gemmis,
Thure pyropiferos inficiente tholos.
Victima multa calet, fumant in cædibus aræ,
Terraq; brutali tincta cruore madet.
Dona Palæſtini fuerant hæc cara Senatûs,
His ſtudet Iſacidæ turba placere modis.
Felices, quibus ora DEI, ſpectare licebat,
Illa licet tenero corpore tecta latent.
Curritur; it permiſſa cohors juvenumq;, ſenumq;,
Cum ducibus ſteterat plebs Cananæa ſuis.
Huc gravidæ matres, huc exivêre puellæ,
Quas decet innubi virginitate pudor.
Deniq; Mater adeſt, nuribus ſtipata propinquis,
Pro Nato ſolitas expoſitura preces.
Grandævus Simeon regalibus obrutus aſtris,
Iam videt optati Lumina ſacra Ducis.
Quas facit aula moras? cur Rex non occupat aram?
Expectat meritum purpura clara latus.
Iam veniat pingui tingendus Pallade Princeps,
Iuſtior an quisquàm civibus unctus erit?

Ludi-

Ludimur affectu; non his calet ille triumphis,
Non hæc est Domino pompa parata meo.
Non oleum, non unguen amat, qui sanguine, cœli
Fœdera scripturus, saucius esse cupit.
Ecce caput nudum, titubans cervice tenellâ,
Fert holocaustorum victima grata loco.
Cêu mactetur ovis, parvâ deponitur arâ
Et proprio signat murice regna sibi.
Fascia cœlestes innodat strictior artus,
Solvat ut oppressæ vincula dura Sion.
Plausibiles fremitus, solis vagitibus implet,
Traditus Isaciјs hostia viva sacris.
Nam quid Haruspicius Pario de marmore culter?
Quid circumcisæ fragmina carnis erunt?
Lege novâ Princeps, mundum recturus utrumq;,
Sanguinis eluvie conciliandus erat.
Angelus imposuit Nomen; sic juncta potestas,
Officio Mystæ, muneribusq; poli est,
Taliter assertus, tali ceromate tinctus,
Imperium IESVS firmat in orbe suum.
A cæso Cæsar merito sit corpore dictus,
Nam parat insignis pleraq; sceptra cruor.

Sanguine profuso purpura gaudet emi.

Dicite Sionis pia pectora, VIVAT IESVS;
Assyrio, IESVS VIVAT, in ore sonet.

Illi Cæsareo, quidquid sub nomine floret,
Illi gemmiferis serviat Indus aquis.
Sub juga, jam Tiberis, jam Thracius affluat Ister,
Iessea, quàm reliqui, mitius ille reget.
Tu, Domino, lætis acclamatura triumphis,
Innumeras Sion Regia defer opes.

ELEGIA XVIII.

Homagium Novo Regi Judæorum.

Seu

Trium Regum Veneratio.

NEcdum bella moves, litui siluêre, tubæq;,
Et ponunt flexum jam tibi sceptra genu.
Vltima dimoti tetigit declivia mundi,
Invictum referens nuntia fama Ducem.
Et quo, vix fessos adigit Sol ipse jugales,
Involat Æolijs aura diserta Notis.
Nos, quibus Hircani nomen pepigêre triumphi
Et geminâ pinguis messe gravatur humus;
Quos oriens Titan nascentibus excitat astris,
Et vastis cohibent regna Petræa jugis;
Nos, licet amoti spatijs ingentibus orbis,
Confluimus primo sub tua signa gradu.

Exem-

Exemplo plures trahet oras gloria nostro,
 Et cadet ad sacros Cæsar uterq; pedes.
Non nos fama movet tantùm; quæcunq sub Austro
 Sceptra jacent, nostrum, credo, sequentur iter.
Incipis à summo; faciles tibi cedere gentes,
 Quæ toties Arabum succubuêre sago.
Optarem scires, prout & scis, qualia nobis
 Robora, quis levibus currere sudor equis?
Nos tamen ut nunquàm, soli tibi fama subegit,
 Asperius nostris nil fore spero, viris.
Sunt Arabes arcu, sunt & breviore sarissâ
 Indomiti, bellax armat utrumq; latus.
Obruit instantes, profugos prætervolat hostes,
 Expulsa est quoties densa procella manu.
Dum pugnatur equis, ventorum semine Nati,
 Hippotadas possunt antevenire suos.
Ars certa est, volucris quâ pellitur ala sagittæ,
 Perdit, quæ non est dextra perita, scopum.
Ipsas adduci calamus consuevit ad aures,
 Hinc cornu, nervos indè, trahente manu.
Pollice dimisso, volat irrevocabile telum,
 Et reddit tenui sibila clara sono.
Desuper expulsæ melius nocuêre sagittæ,
 Æratum penetrat cuspis acuta caput.

Rarior auratas incendit gemma pharetras,
Pictaq; purpureo penna colore rubet.
Vtimur his Arabes, Nabathæaq; prælia telis,
Vtitur Æthyopum Sardonichata manus.
Præterea regimus populos, quos Persica Thetys
Alluit, & salso gurgite pontus obit.
Qui Gangem, Nilumq; bibunt, quos dividit Afer,
Quos Phænix busti condit odore sui.
Has tibi, depositis gentes submittimus, armis,
Quas non Hæmonius posset adire chalybs.
Non nos belligeri populerunt sedibus enses,
Non Hæbræorum capta trophæa sumus.
Solus vicit amor, vestræq; potentia famæ,
Prævia fax cœli, pro face Martis erat.
Vidimus in cuneos bellacia sidera duci,
Stelligeras acies, astra dedêre tibi.
Vidimus innumerâ flammas statione moveri,
Et toto vigiles æthere stare rogos.
Turbatur decus omne poli, nec certa Planetis
Ora, nec assuetos vidimus ire, dies.
Causa tamen latuit; licet omnis flamma polorum,
Quos habet influxus, quæ bona, nota fuit.
Vndè meant Hyades? quid Gnossia serta? quid Vrsæ?
Altera major Avis, altera dicta minor.

Astrææ

Astreæ studium nobis hos tradidit usus,
Hausimus hinc artem, notitiamq; poli.
Tunc verò magicas turbârunt sidera leges;
Nec cursus dubiæ, nec via certa faci est.
Ringimur, ac frustra varijs irascimur astris,
Donec erat nostræ, dux data, stella viæ,
Hanc sequimur, sed miles ubi? sinè milite Reges,
Quis metuet? *nullas astra dedêre moras.*
Vix aliquos licuit donis onerâsse camelos;
Munivisse levi corpora nostra manu.
Nulla Nabathæi fulgent insignia luxûs,
Persica non rutilo purpura flore micat.
Informes hastæ, nec crispant serica ferrum
Nec trabs est Numidæ dente sepulta feræ.
Non satis auratus sub gemmis baltheus ardet,
Prorsùs inornato cingimus ense latus.
Signaq; barbaricos quibus auderemus in hostes,
Non poterant ullâ commoditate legi.
Nam visum præïjt spatiosis passibus astrum,
Et procul amoto, jusserat igne sequi.
Civis erat gravior, qui sic retinebat euntes:
Non satis externo tuta corona solo.
Privatis licuit, quo nescio, tendere velis,
Majestas tuto est, circumagenda freto.

Non metuit Reges & Civis, & hostis inermes.

Nunquã securè Patrijs Rex finibus exit.

Cur

Cur ita deserimur: vel cur simul ire negatum est?
Quilibet ignavus cædet inerme caput?
Quod si, Marmarici numeroso milite reges;
Aût etiam paucis insidientur, equis?
Quæ spes armorum? quanto certabitis ausu?
Cùm vix fullones, qui tueantur, eunt?
Sic facili quivis abducet compede captos?
Extera sic vestro sanguine terra fluet?
Non bene Majestas infido creditur orbi;
Et nunquam tutum Regis inerme latus.
Sed cedat felix, prout est fiducia vobis,
Hostibus à nullis impediatur, iter.

Perfidiā suader populis absentia Regum.

Quæ vos fata domi; quis motis regibus ordo
Expectat? brevis est Civis ubiq; fides.
Quid si, dum longas tecti lustrabitis oras,
Plebs faveat ducibus seditiosa novis?
Et vos extorres alieno vivere cœlo,
Si quis adhuc locus est tutus in Orbe ferat?
Detur, quod plebis peccare licentia tantùm,
Non possit; quid agent sceptra propinqua Sinæ?
Quàm celeri pulsas, siné Principe, Marte cohortes,
Cogent direptis sub sua jura bonis.
His Cives, animi frænant incendia, verbis;
Nos propè jam visum est deseruisse jubar.

Tunc

Tunc avido profugum ſequimur fervore planetam,
Non ſatis effuſus creditur ire dromas.
Vrgent cornipedes virgæ, calcaria laſſant,
Donec in amiſſæ venimus ora facis.
Vndè, licet magnis decuit Tua Numina donis,
Nec nobis impar ſpes, coluiſſe fuit;
Sed culpa eſt ſtellæ, quæ præpete ſidere currens
Non dedit, ad minimum, plùs habuiſſe moræ.
Vix modicum tempus, quo ſunt hæc rapta, reliquit;
Thus, aurum, Myrrham, quantula dona damus?
Non quaſi ſic parco venerari munere Numen,
Debuimus, ſed quod plùs vetat hora brevis.
Vaſta Sabæorum paſſim viret area Myrrhis,
In clivis paſſim frondet odora ſeges.
Æthyopes Campi, Gangetica littora thure,
Fumant; plebeijs thura dicata focis.
Dives Arabs auro, plebi nitet aurea menſa,
Auro conflatis cura bibiſſe ſcyphis.
Sic niſi quod ferimus, patriæ vulgare tributum eſt;
Vix raptæ veniam ferre merentur opes.
Imò ſat eſt, iſto teſtari munere Regem,
Cætera jam nôris, Numinis eſſe Tui.
Nos Tibi Regnorum vitam, populiq; ſalutem
Cedimus; unius ſint tria regna throni.

ELEGIA XIX.

Prima Acies cæsa Regis Judæorum, Clades Innocentium. Nuntius Cladis.

NEc mihi mens superest, nec magno verba dolori,
Officio linguam destituente meam.
Et quoties memini, toties exanguis, & amens,
Ad fera barbaricæ concido gesta manûs.
Nec satis ipse mihi compos, quid dicere vellem?
Nec fas, immotis cernere monstra genis.
Quod tamen averso potui discernere vultu,
Quos tristi gemitus hausimus aure dabo.
Flebilibus debet potiùs singultibus ille,
Quàm verbo dici conveniente dolor.
Nescio quo fato; satis est, quod jussit Herodes,
Sisteret, ut quævis pignora chara parens.
Nec varij sexûs, sed quos fert mascula virtus,
Qui possent nomen promeruisse viri.
Confluxere piæ; quid enim timeatur iniqui
Rege bono? *partu bajula quæq; parens:*
Ætas tuta fuit major; plerumq; quod horret
Dicere mens, bimi decubuêre mares.

Rege bono tutus vivere quisq; potest.

Certave-

Certavere sinu; quis pulchrior ore? quis altâ
Fronte? quis infantûm plùs generosus erat?
His oculis, gemini meliùs radiare pyropi,
Hæc dare puniceas labra videntur opes.
Hic fert ore Patrem, sed pulchræ lumina Matris;
Pupillam decorat gratia summa nigram.
Hinc alijs, alijsq; notis laudantur alumni,
Dilectæ nulli, spes bona prolis abest.
Imò satis genuisse fuit, modò masculus hæres
Viveret, ora minùs qualiacunq; notant.
Nempè Palæstinis decus omne parentibus unum
In genito fuerat, primaq; fama, mare.
Messiam quævis voluit peperisse Sioni,
Quæq; placere sinu fertiliore DEO.
Hâc quoq; spe veniunt, quasi de tot Matribus una,
Optatum fuerit digna tulisse DEVM
O! quàm fallit amor! quot, spes decepta, parentum,
Pro Duce Regnorum, tristia fata ferunt.
Insolitum fraudi titulum, præfixit Herodes,
Cêu signet Nato castra coæva suo.
Vt novi, celebres id magnâ laude coronas,
In specimen celsæ constituisse Domûs.
Namq; simul tenero lectæ cum Principe vires,
Iussa ferunt Domini qualiacunq; sui.

Et quibus aſſuerunt, conſtanti pectore mores,
Sêu grave quid jubeant, sêu leve ſtare volunt.
His domuit Perſas, his ultima ſceptra ſubegit,
Cum quibus Æmathius luſerat ante puer.
O! utinam verè, prout ornabatur ad arma,
Hæc manus in noſtris lecta fuiſſet agris?
Quantis purpureus voluiſſet viribus Hæres?
Quot nutriviſſet plebs Bethlemæa viros?
Sed rabies aliud, ſoliiq́ ſceleſta cupido,
Antipatro ſuadet de genitore, Duci,
O! miſeræ Matres! non vos præſagia terrent,
Non cor vaticinans, extaq́ mota, docent?
Vſſerunt nimiæ trepidantia viſcera flammæ;
An leve fundendi ſanguinis omen erat?
Credo, vias tenuit, quâ pergebatis, hirundo,
Ac ipſos pennis tangere viſa pedes;
Cêu peteret, tanto nè dulcia pignora letho,
Sub grave ferretis nè pia membra jugum.
Hoc fugiens, iterumq́ ſuos ingreſſa monebat
Ad pullos, veſtri certior illa mali:
Cur in tot monitus, in tot crudelia fata,
Inſignem Iudæ præcipitaſtis opem?
Vt ſteterant amplâ, Matres, puerîq́ coronâ,
Quos gerulæ Matrum ſuſtinuêre manus;

Dixiſſet

Dixisses aciem, niveis albentia velis
Corpora, lunigeros exhibuêre Getas.
Sic, cum Iasoniis, vittato crine carinis,
Forsan Amazoniæ conseruêre nurus.
Pro clypeis, teneri vallabant pectora, Nati,
Visa sibi partu brachia tuta suo.
Ex alia rigidæ stabant regione phalanges,
Armavit nudus barbara castra chalybs.
Quisq; suam torvo signabat lumine prædam,
Qui melior sanguis, quæ magis alta Parens?
Reptabat forsan petulans in brachia proles,
Aût avidâ tutudit pectora clausa manu;
Indè securiferis gravior lictoribus ira est.
Hic audax, hic est interimendus, ait.
Sic fit, lanigeris dùm misti Matribus agni,
Per virides saliunt indesinenter agros;
Adversâ de valle lupi vaga vellera spectant.
Atraq;, jam linguis grandibus ora lavant.
Prædæ certa fames, numero confunditur ipso,
Pinguior una, aliâ, stare videtur ovis.
Tandem quisq; suum raptor sibi destinat agnum,
Et trepidos Matrum sternit utrinq; greges.
Tunc, tunc deceptæ sensere pericula Matres!
Cum nudo patuit lictor in ense minax.

Nam velut immani cecinissent cornua bello,
Invasit miseros strage rubente sinus.
Plectuntur subitâ Matres, puerique ruinâ;
Parvaque colla, velut lubrica grando fluunt.
Non precibus ferrum muliebris turba moratur;
Non juvat, in partus procubuisse suos.
Brachia si teneant, præscindit brachia miles;
Occultetvé sinus, dissecat ense sinum.
Laxior indulsit gladiorum cædibus ira,
Quàm forsan domini jussa fuêre sui.
Occubuêre simul cæso cum pignore Matres;
Permisti sexûs inficit arma cruor.
Aût molli jugulo, capulis crudelibus hæret,
Aût dissecta premit pectora, lictor atrox.
Eripit infantem, renuentibus improbus ulnis,
Vagitu Matrem postulat, ille miser.
Respondet lachrymis Mater; dixisse volebat,
Sed riguit gelido lingua ligata gelu.
Hic caput, hic scapulas, hic lumbos abstulit ensis,
Crudeli Mater, funere nulla caret.
Et fuerat quædam tantis conatibus ardens,
Vt lictoritias fregerit una minas?
Dispulit hostilem, miserando corpore turmam,
Vt posset spolium saucia ferre suum.

Non vidit gladios, sævos non senserat ictus,
Quàm suus incendit major amore dolor.
Dulichio talis colluctabatur Vlyssi
Andromache, puerum, dum ferit ille Phrygem;
Sed quoties rapuit Danais violenta lacertis
Hectoridam, toties reddere jussa fuit.
Audax miles amor, dextras collidere dextris,
Mollia terrificis, vultibus ora jubet.
Sic Bethlemæa parens, aût strictum corripit ensem,
Aût premit; à lachrymis nulla petita salus.
Ipsa volet totis incumbere viribus ensi,
Dummodo servetur per sua fata puer;
Nil tamen effecit? raptus per vulnera Matris,
Qui necdum plenâ voce rogabat opem.
Dicere quis poterit, quanto pugnatur utrinq;
Vulnere? quanta cadunt colla, quibusvè modis?
Calcabat durus tremebundos lictor acervos,
Plurimus irato sub pede sanguis ijt.
Forte, truci, propior Mater, lugebat Herode,
Hoc, ut perciperet barbarus, orsa stylo:
Hicné tibi titulus, meritos implere triumphos,
Debuit? an Parthus non erat, atq; Cilix!
Proh! quàm nobilibus muliebris laurea sertis?
Quàm tibi de pueris palma superba viret?

Threÿcÿ

Threïcij nescis tentare pericula Martis,
Assyrios nescis vir tolerare viros.
Pulchrior imbellis florebit adorea vulgi,
Fæmineas dextro milite vincis acus.
Dic mihi! cum pueris quis vir, nisi fæmina pugnat,
Quod nollem de te dicere, vix vir eris?
Annuit Euphrates, facilis tibi credere Ganges,
Fundere, quod victor, lac puerile, queas.
O! victor, veteres dominos prægressus Idumæ!
De tantis jugulis gloria quanta tibi!
Sic potes induci Tarpejæ Iuppiter arci!
Laurigeros infans turba præibit equos!
Victorem te Roma vocat, celeratq́ triumphos!
Vt didicit quali sanquine palma rubet!
Hæbræas lictor mavis affligere Matres,
Quàm Capitolinis, serta referre jugis.
Aût thorus, aût cunæ, Tua belli grandis arena;
Muris, atq́ potes muribus esse gravis.
Sic afflicta parens. Morientia membra videres,
Omnibus inspergi, destituiq́ locis.
Per tot Iessiades jugulos, & funera Princeps,
Sidereus tanto quæritur hoste Puer,
O! fidas acies, ô mascula pectora cœli:
Hæc ornat Regem purpura vestra DEVM.

ELE-

ELEGIA XX.

Profugus ex clade Rex JESUS in Ægyptum.

REx puer interea, gemino ſtipatus honore,
Ad Peluſiacas confugiebat aquas.
Noluit, Infanti cupiens concumbere turbæ,
Vnâ, quâ pueri cæde, locoq́ mori,
Barbarico Marti, puduit, non cominus iſſe,
Aût primos inter non cecidiſſe mares.
Quos ſibi jam paribus ſelectos fecerat annis,
In tanto puduit deſeruiſſe malo,
Attamen evicit dilectæ cura Parentis,
Siderei pectus compoſuêre Duces.
Angelico monitu, dulcis formidine Matris,
Subductus miſeræ de feritate necis.
Expediens non eſt veniant ut in arma coronæ,
Quorum conſilio regia ſoſpes erat.
Nam ſemper dubij fallax eſt alea belli,
Nec numero, nec opum viribus ulla fides.
Sic ubi contigerit victis ſuccumbere ſignis,
Rex alios extra, ducet in arma viros.

Bellorū Princeps majora pericula vitet.

Reſtituit Danais aciem ſervatus Achilles,
Hectore ſubducto, Troja ſtetiſſet adhuc.
Rex Iagiellonius niſi Threſſos primus in hoſtes
Iſſet, erat Lechiæ non ita Varna memor.
Obtegit Annibalem ſubitâ caligine nubes,
Interitu rueret cujus Eliſa domus.
Iſiacis Moſes Iudæ ſervatur in undis,
Quo duce, de Nilo, gens abitura fuit.
Sic quoq; Rex noſter, Solymas majore triumpho
Preſſurus, celeri ſe movet indè fugâ.
It Genitrix, cum Patre comes, quoscunq; parata
Pro CHRISTO caſus, longaq; ferre mala.
Vix miſero patriæ columen portatur Aſello,
Nec pectus clypeo, nec tegit enſe latus.
Quas raperis Princeps in cædes, cæde relictâ!
Eſt melior requies, occubuiſſè domi.
Suſpectæ fuerat tellus Ægyptia famæ,
Num poterit ſolitis abſtinuiſſè dolis?
Si fida eſt? ſed cara nimis, tu paupere cenſu
Inſtructus; quâ fit commoditate tuâ?
Nil parit exuſtis ager infæcundus arenis,
Quem face torrenti Cancer iniquus agit.
Et niſi limoſi ſtagnarent flumina Nili,
Aſſiduâ fertur Memphis egere fame.

Hoc

Hoc fuerat quondam; nostri sub lege Iosephi,
Ingenio fruges uberiore feret.
Demus id, & culmis quod abhinc, & vitibus amplis,
Floreat, at nota est calliditate Pharos.
Hostis erit Regi quavis à parte timendus;
Nulla est vicino pax bene tuta metu.
Hinc minùs à falsâ latus est immune Canopo,
Hinc ab Idumæo multa pavenda solo.
Quid si, vel pretio, vel apertis viribus, illi
Audent Niliacam sollicitare fidem?
Si memini, meminisse reor, Niloticus ensis
Pompejanâ cæde superbit adhuc,
Iuravit Latio, sed mox civilibus armis,
Quam dedit, infecit Rex Ptolomæus opem.
Dux quem vix noti timuerunt climata mundi,
In Pelusiaco fallitur orbe miser.
Vtemur nostris, quas gens Memphitica fecit,
Cladibus; an Pharao mitior hostis erat.
Ingenium quod terra semel contraxit iniquum,
Nulla deficiet posteritate sibi.
Nullis exuitur fera mens ætatibus orbis,
Quam cum Materno pignora lacte bibunt.
Etsi Trinacrijs auctus Scytha messibus undet,
Non tamen à rapto desinet ipse suo.

Ingeniũ servat, gens fera quæq; suum.

Hinc ego causa forem, calidam vitare Syenen,
Ac de Niliaco flectere vela salo.
Vtiliùs, positâ sterilis regione Canopi,
Devotos Arabes sollicitare, putem.
Et noti Reges, & gens animosior armis,
Auxilio poterunt, accelerare suo.
An scelus infandum, clademq́ amittis inultam?
Nec socijs Aquilis jungere castra libet?
Regna Sabæa viris, & claro exercita Marte,
In quosvis hostes, te moderante ruent.
Vtq́ fidem didici, mediâ tibi parte bonorum,
Vel toto prorsùs limite cedet Arabs.
Arma voles? armis populi tum signa sequentur,
Sceptra voles? sceptris serviet aula triplex.
Si tamen Angelicis mens est rationibus uti,
Solaq́ digna tuam Memphis habere fugam.
Admoneo, tenui serves tua Numina tecto,
Nè Pharius noscat, regia signa latro.
Aût fodies refugo, limosam flumine glebam,
Aût alio tempus rite labore teres;
Vt nisi plebejo credat de sanguine natum,
Ægyptus patrijs ingeniosa malis.
Profuit ignotâ sidus sub nocte latere,
Sub Lare privato regia tuta salus.

ELE-

ELEGIA XXI.

Regia Liberalitas.

Quinq; millium virorum copiæ, Quinq; Panibus saturatæ.

QVis mihi tot pennas, quot habet Caystrius ales,
Quot conservatrix fert Iulæa dabit?
Aût quot odoriferas volucris Phæbeja plumas,
Aût quot alit magni sacra ministra Iovis?
Imò Paretonium quæcunq; supernatat æquor,
Si penitus calamis exspolietur avis;
Atramenta salum, si totis fluctibus undet;
Ægæi præter mortua vitra maris.
Nam nihil hic atris fas subduxisse lituris,
Tristia non patitur funera larga manus.
Si Tagus expressis liquidi garritibus auri,
Pactulusvé meas adjuvet ipse notas.
Non satis, ut referam, quali pietate calebas,
Ex Pelusiacis, CHRISTE reversus aquis.
Quid loquor incautus? tacito sit pessulus ori;
Rex prohibet nomen commemorare suum.
Causa rei, sævus nè recrudescat Herodes;
Postquàm rescierit, quem timet ipse dari.

Ne nomen feriat titulos, aurésq́ Tyranni,
Vt putat Hæbræis exitiale thronis.
Quæ poterunt latebræ? quod noctis inutile tegmen
Sidereum tenebris intumulare jubar?
Quo vis usq́ tuâ Princeps, cum luce latere?
Isaciæ felix portus, & aura spei,
Hic locus est tandem, meritis radiare triumphis,
Dat regni fasces illabefacta fides.

Quæ venit à meritis purpura, digna venit

Qui meruit, differre potest, non spernere regnum,
Virtus sola parit præmia justa sibi.
Sæpiùs abjectas, aliquando resumimus artes,
Usu quæ nobis invaluêre suo.
Par animus sceptro, quos dedignatur honores,
Indolis, atq́ Domûs conditione tenet.
Id fateor, meliùs Reges ad sceptra rogari,
Et gestis potiùs, quàm meruisse fabis.
Purpura felici raro gavisa Nepote,
Quæ parta est proavis ambitione tuis.
Sed tamen ad tempus, quod cauta modestia damnat,
Post longas regnum fas adÿsse preces.
Cur solium fugias? patriâ quod dote mereris?
It Sion, it facilis sub tua jussa Silo.
Te cingit popularis amor, tibi mœnia jurant,
Stant jam sub signis millia quinq́ tuis.

Plures

Plures convenient in aperta pericula Cives,
Dummodò te populus noverit esse Ducem.
Iam video multis Galilæas viribus urbes,
Bellica jam fidæ signa coire Tyros.
Isràël accedet numeroso milite castris,
Iuda tibi poscet Iessea sceptra dari.
Omnis ad Assyrium porrecta potentia littus,
Omnis Hesebonij te vocat aula soli.
Vnicus Herodes tantis conatibus obstat?
Ignarum belli, semivirumq; scias.
Hunc nisi, si fuerit, quem quæstus jungit & error,
Imbellis nullâ lege sequetur eques.
At tibi Sidoniæ campum texêre phalanges,
Classica dant faustis officiosa tubis.
Hinc Syrus ingentes animos tibi mittit Orontes,
Hinc volat Isiacâ pulsa sagitta, manu.
Hi quoq; si desint; sunt millia quinq; virorum,
Quilibet est aciem sustinuisse capax.
Virtus non numerus celebres parat alta triumphos,
Viribus à parvis laurea magna venit.
Quid juvat Arsacidam toto concurrere mundo,
Innumeris terræ curribus esse gravem:
Exhausti fontes, tellus immugijt ægra,
Dimidiam fluvij vix pepulêre sitim.

Tantus

Xerxes tantus erat; tamen impare milite Grajo,
In Marathonæis turpè fugatur agris.
Vnus in Iliacas acies suffecerat Ajax,
Vno tot validos presserat orbe Phryges.
Antigonus bello fortes populatus Achivos,
Mille simul Macedûm dictus habere manus.
Vnus Aventinam defendit Horatius Vrbem,
Et stitit Hetruscos, ponte ruente Duces.
Sic animi potiùs, quàm fæx ignara triumphat,
Utilior bellis parva perita manus.
Tuné voles multis confligere viribus hosti?
Qui solus quovis robore, plura potes?
Mille cadent acies, immoto Marte tuorum,
Ad faciem surgunt mille trophæa tuam.
Attremit Euphrates, pavidus glaciatur Araxes,
Et quocunq; tuo Nomine fama præit.
Quid si bellacem moveas in prælia dextram?
Quanto cæsa tibi funere regna cadent?
Extulerat quoties sublimia brachia Moses,
Stratus ab Hæbræo dicitur ense Syrus.
Tu plùs Mose vales; Tua fortiùs addet in hostem
Belligeris robur, dextera sancta viris.
Quid cessas? rigido Sion compesce Gradivo,
Expectant nutus bellica signa tuos.

Arma

Arma viri! sed forté priùs decumbere Princeps,
Atq; famem largo pellere pane jubet.
Viribus exhaustis nè langueat ægra juventus,
Prospiciet grato farre refecta Ceres.
Quis tantas saturet, quæ dives mensa cohortes?
Præcipuè cùm nil præter habetur humum;
Quot bona succincti portant alimenta Caballi?
Quanta gravat belli stridula plaustra penus?
Et jam jussa sedet spatioso cespite turba,
Humida jam certus provocat ora cibus.
Horrea nulla patent, aût pinguis claustra macelli,
Nulla tegit vitis, jugera nulla seges.
Currus abest omnis, in quo spes proxima victûs;
Oppida magna procul, parvaq; villa procul.
Adfuit interea, cujus nescitur Ephebus,
Nominis aût patriæ, far Cereale ferens.
Quinq;, sed inter eos homines quæ portio? panes;
Is pretio venum commodiore dabat.
Accitur; quid enim fieri mirabile possit?
Illi, qui carnes, dulceq; manna pluit?
O! vim cœlestem! quis par de regibus unquàm,
Quinq; satis pondo, millia quinq; replet?
Fecerat id IESVS, jussisq; recumbere signis,
Distribuit Sanctâ, quod fuit; ipse manu,

Imò famem supra, totidem mansere cophini,
Vicino posthac flumine pulsa sitis.
O! decus Isacium? quantos implebis honores?
Præsidium cuivis panis & arma throno.

Lauta manus Regũ Cives devincit & hostes.

Audiet hoc Iudæ, Libaniq́, Cadesq́, juventus,
Atq́, tuam poscent regna Sabæa fidem.
Quid terras cohibet? quid Martia castra coërcet?
Prodiga, quàm largo regia pane manus.

ELEGIA XXII.
Triumphus in Monte Thabor.

JAm fera compresso gemuit Iudæa furore,
Et Domino victum flectere jussa genu,
Ipse triumphali, Thaboris fastigia pompæ
Deligit, insolitâ vectus ad astra rotâ.
Vt sic sideribus propior, nec ab orbe recedens,
Distribuat gemino serta jubarq́ globo.
Quas sibi terra dedit, submovit in æthera palmas,
Cœlestes mundo compositurus opes.

Principis est animi pro dono dona referre.

Principis est virtus, communia reddere do...;
Alter ab alterius munere crescit honor.
India dat Celtis merces, & Celtiber Indis
Participat, magno quod fit utrinq́ bono.

Sol

Sol vehit in cœlum, quas Æther non habet undas,
Et quo terra caret, ſol rigat imbre ſolum.
Mens eadem Regum, diffundere commoda toti,
Vnus quæ ſolùm ſubditus orbis habet.
Hinc ut cœleſtes, terreſtribus adderet aſtris.
Occupat affinem CHRISTVS utriq; Thabor.
Non mihi Tarpejas, ſeries Romana curules,
Non Capitolinæ conferat arcis opes.
Quid currus rutili, quos dens infecit eburnus?
Strataq; purpureis eſſeda magna thoris?
Quid radijs auri ſpecies infuſa rotarum?
Quidvé volubilitas non imitanda fuit?
Aût ſparſæ per ſaxa roſæ, clangorq; tubarum?
Aût probus Auſoniæ nobilitatis honor?
Deniq; flammivomis quid nix inſperſa quadrigis?
Captaq; victorem turba ſequuta ſuum:
Excedit quosvis majori luce triumphos,
Chriſtus ovans magno poſt fera bella Thabor.
Neſcio quid celſi, faſtigia regia colles,
Sive juvant ſummo vertice, ſive ſitu?
Nam quidquid ſolium popularibus extulit auris,
Inſediſſe altæ culmina rupis amat.
Idiacis hærent Priameja Pergama ſaxis,
Daunia Tarpejus ſuſtinet aſtra ſilex.

Observat summos plebs oculata thronos.

Forsan, ut egressi civilia jura Dynastæ,
Facta darent populo conspicienda suo.
Hinc velut exemplar quavis spectatur ab arte,
Aspicitur vulgi regia vita freto.
Fallor? an ignitos jam ducunt sidera currus?
Læta triumphali spargitur aura rosâ;
Thesbites, clarâ superûm stipante coronâ,
Obvius æthereis in juga fertur equis.
Ingenti radio spectantia lumina mundi,
Quæ tulit Eliam, flammea rheda ferit;
Ignea visa rota est, temo velut ignis, & axis,
Igne calet sedes, purus ut ignis, equi.
Moris erat Latijs Ducibus, de jure triumphi,
Ante triumphales flumina ferre pedes;
Hinc auro, gemmisq; graves rutilantibus urbes;
Ac varias Heros anteferebat opes.
Nunc vice picturæ, vel tecti fluminis auro,
Fert aliud Regi Cœlica pompa decus.
Sinaico legum tabulas de marmore sectas,
Moses pro validis mœnibus orbis habet.
Has comes Eliæ, pro sculptis urbibus offert,
Victoremq; suum, jam minor ille præit.
Quis melior nostro, dicetur ab indè triumphus?
Sidera pro curru, lex obeliscus erat.

Præterea

Præterea toto recubant incendia clivo.
Quæ Phœbi medios imminuêre dies.
Clara DEI facies blandis diffunditur astris,
Vndè repercussum manat in arva jubar.
Rex super aligeræ decumbens colla juventæ,
Invehitur patrijs desuper astra thronis.
Ex humeris radians pendet pro murice byssus
Candidiore tegit pectora lacte chlamys.
Quid si Cæsariem, jubar immortale, videre?
Quid si stellarum serta corusca libet?
Dalmaticas laurus, Lybicas superare corymbos,
Romulei fastûs præmia magna putem.
Frons spatio majore patet, quàm mille coronæ
Exæquent; unum sunt diadema poli.
Ipse ter augusti circumfert gaudia vultûs,
Et recreat comites, ore nitente suos.
Mors alijs, sinè laude reor, victoribus orbis,
Parta supercilio regna tenere gravi,
Non satis apta dies, lætis est orta triumphis,
Quæ non civili tincta cruore rubet.
Vilis honor gemmas, potior calcare subactos
Reges, & tumido colla gravare pede.
Hic alind; tristes Hyadæ, Saturnus, Orion,
Et quidquid pluviâ terruit astra face;

Summus honor alijs se demonstrare Tyrannos.

Sæva Cyclopæis fabricata flagella lacertis,
Et par Arcadium flebile, prorsùs abest.
Innubi cœlum facie certare videtur,
Et Domini vultus æquiparare sui.
Qua stetit ille, novo Sphæræ nituêre sereno,
Involat emensas plurima stella vias.
Æther Io canit! tellus respondet, & æquor,
Angelici repetunt Io! triumphe chori.

Fidus amor melius, quã miles Regna tuetur.

Principibus quos civis amat, plùs fida decoris,
Pectora contribuunt, quàm Tiberinus apex.
Æs vocale sonet, pulsent vaga sistra triumphos,
Tristis erit pompæ, Cive odiente tenor.
At si nulla forent plaudentis signa coronæ,
Ex animis poterunt publica vota legi.
Dum sic Ætherei colludunt ignibus axes,
Omnia Iessæo plena favore sonant;
Obvius ex alta se majestate reclinans,
Amplexum Genito dat, recipitq́; Pater.
Quis volet arcanæ spiramina tangere mentis?
Quale simul fœdus, consiliumq́; parant?
Quot Pater impressit, quot reddidit oscula Natus;
Quali se tenuit lege, profundus amor?
Quæ certaturæ designat præmia fronti?
Quævé Palæstino reprobat acta foro?

Gaude t

Gaudet habere parem, toto sibi noscitur ore,
Hi vultus, eadem frons utriusq; micat.
Nil distractus honor, quamvis communis utriq;,
Sunt indivisæ, quæ geminantur opes.
Par humerus cœlo, par sidera ferre lacertus,
Implevit Patris, par diadema caput.
Hæc ætas, hæc mens, formæq; simillima forma,
Et præter nomen, cuncta coæva ferunt.
Iamq; simul statuit populis regnare polorum,
Impatiens Sanctâ prole carere DEVS.
Iam vetat ingratis iterum succurrere terris,
Filius hæret amans, hæret amore Pater.
Attamen æternum miseratio vicit amorem,
Quæ dolet humanas succubuisse vices.
Tollit ab amplexu, flammantia pectora Natus,
Abripit invito dulcia membra sinu.
Quâq; super Patrij stellantia pegmata cœli,
Iverat, hâc terras occupat ille viâ.
At Pater, ut nullâ poterat prece vincere mentem,
Commonet his mundi subdita sceptra sui:
Filius iste meus, meus hic est unicus Hæres,
In quo jam scitis complacuisse mihi.
Ille premet victam duræ cervicis Idumen,
Quæ damnat superæ mollia jura Domûs.

Ille

Ille Palæstinos meritâ virtute Tyrannos,
Conteret, & capitum detrahet omne jubar.
Is Patre me Natus, nostris amplexibus exit,
In decus Isacijs auxiliare viris.
Io Pæan! felix Domino canat orbis uterq;,
Et repetant colles Thaboris Io! Pæan!

ELEGIA XXIII.

Triumphus Regis Judæorum Hierosolymis

ALtera Iessæas exornat gloria laurus,
Vrget honoriferos, altera Pompa dies.
Ad cytharas Solymæ! niveo venit omine plausus,
Quando Sionæâ Rex ovat arce DEVS.
Num solus Latios Tyberis spectare triumphos?
Iliacæ tantùm serta merentur aquæ?
Iordanides lymphæ? Cedron est inglorius undis?
Laurigeros nunquàm par habuisse duces!
Ergoné sola virent partis Capitolia palmis!
Ipsa trophæorum non nisi Roma capax?
Sionij colles, nil præter inutile fænum,
Spinarumq; valent progenerare nemus?

Non

Non sibi tot raptis, præsumat Daunia regnis,
Perpetuò terras posse gravare jugo.
Nunquàm fixa ſtetit longis victoria ſertis,
Transferet hinc alio, quas tibi donat opes;
Quot Perſæ laurus? quot Dorica robora? terris
Vix uſu facto præteriêre brevi?
Aſſyrius Medo, Macetis ſuccumbere Medus,
Debuit, hi Latios ſuſtinuêre Duces.
Sic ubi ſublimes augem tetigere triumphi,
Ipsâ mole ſui, dum ſenuêre, cadunt.
Aût potiùs ſuperûm placito, ſurguntq́;, ruuntq́;,
Sæpiùs interno culmina fracta malo;
Io Palæstini resonent propylæa Senatûs!
Io! corymbifera clangat in arce Sion!
En alio natas mundi sub climate palmas,
Isacides transfert in sua septa DEVS.
Quid? Libanitides necdum sua brachia Cedri,
In meritas laurus, sertaq́; digna ferunt?
Palma Caditano necdum decisa colono,
Sternitur in multis, quâ licet ire vijs?
Ocyus Hermoniæ, Solymæja compita Sylvæ,
Ocyus ex Assur frons peramæna, tegant.
Quâ Dominus veniet, quâ plebs affusa jacebit,
Vndet Herichoniæ picta procella rosæ.

Nulli perpetuas jurat victoria palmas.

Quidquid odoriferi dant cædua ligna Sabæi,
Quidquid Idumæis nobile crescit agris.
Cinnama, quæq; probo destillant balsamo succo,
Victores cingant supplice fronde pedes.
Cernere, si magnos Domini licuisset honores,
Si mihi fas grandes ferre fuisset opes.
Tunc ego Pæstanos spoliassem floribus hortos,
Fudissem pleno munera quæq; sinu.
Ipse graves calathos, & si quid copia cornu
Gestat Amalthæo, quod Ceres ampla, darem.
Ipse, quod in Lybicis parerent bona semina terris,
Optassem pompæ suppeditare suæ.
Quod si confluxu premeret me turba molesto,
Frænassem cubito corpora fluxa meo.
Vt Tibi sic IESV, lateriq; propinquior hærens,
Efficerer plausûs pars oculata tui.
Sed plùs cæca fides, plùs me Tua gratia stringit,
Quæ falli nullo tincta colore potest.
Credimus innumeras gentes, juvenesq;, senesq;,
Lætitiæ certum non reperisse modum.
Vt pietas stratis pompam Tibi vestibus auxit,
Quando sedens asinâ provehebare rudi.
Vt grati Solymæ circumplaudentis acervi!
Ante Tuos passim procubuêre pedes!

Vt

Vt sua palmiferi laxarunt ostia Cives!
Nec cæpit plebem vastus in Vrbe locus.
Vt vulgo Proceres juncti, puerisq́ puellæ,
Verbere complicitas increpuêre manus!
Omnia cêu vivo referunt depicta colore
Historiæ, quibus est nostra subacta fides.

Res alias veteres, successu temporis auctæ,
Quàm fuit in facto, plùs adhibere solent.
Fons licet est tenuis, tamen undâ crescit eunte,
Et famam ripis ampliat ille suis.
Raro quod series ævi caligine texit,
Defluit ad nostros ut fuit ante dies.

Crescit postremo tempore fama visus.

Hic mos instabilis, quam mutant tempora, famæ,
Quid fastis CHRISTI veriùs esse potest?
Nil hîc vel tribuunt, vel posthuma sæcula demunt,
Est veri præsens, gloria vera DEI.
Ad plausus iterum, fremit ingens murmure vulgus,
Multa suis plateas impedit herba comis.
Quâq́ manu lapides nuper, fustesq́ tenebat,
Hâc sternit molles plebs Solymæa rosas.
Quis numerus populos, Vrbes, Castella prehendat?
Quot dedit ignotos terra remota viros?
Crinibus huc etiam fertur Iudæa solutis
Accelerasse, suum prona videre Ducem.

Quidquid acervatis peccaverat inſcia noxis,
Deflet, & ut veniam poſſit habere, rogat.
Hæc ego, cêu præſens, avido ſpectamine luſtro,
Hæc oculis videor participare meis.
Quàm miti facie, quàm majeſtate ſerenâ,
Subdita quàm ſuavi mœnia luce beas!
Ipſe, nec admiror, tanto Seſſore tumebat,
Non niſi ſulcandis natus aſellus agris.
Dum ſonitu, plauſuq; calent, cytharisq; plateæ,
Surrectâ lætos approbat aure ſonos.
Duceris ad templum numeroſæ examine plebis,
Prævia dum ſacras veſtit oliva fores.
Sed nec Haruſpicio proſternitur hoſtia ferro,
Nec quisquàm maculat flexile Numen adeps.
Ipſe Crucis triſtem mox hinc cædetur ad aram,
Ipſe ſuis fiet victima certa ſacris.
Io! canant Solymæ, per vulnera Regius Hæres,
Victor erit, mors hic occubitura venit.

ELEGIA XXIV.

Regia Menſa,
Sêu
Cœna Domini.

DIî Claros & Delphi; quibus ingens gloria me- (tri eſt,
Exigit ornatam Regia menſa chelym.

Currite,

Currite! ſed non hoc, quo Delphica limina cultu,
Incolitis; procul his qui ſinè fronte Sales.
Non ego lætitiam regalibus arceo menſis,
Sed quam ſuada gravis temperat, atq; pudor.
Fert proba mēſa jocos, qui ſeria commoda portant,
Naſcitur ex ſalibus publica ſæpè ſalus.
Utilius ſedit prudens ad fercula Cæſar,
Quàm dicens Romæ publica jura Cato.
Hæc igitur caſtas patietur cœna Camænas,
Non quales effrons fortè Priapus amat.
Scilicet auguſtam poſuit Sapientia menſam,
Et ſeſe dulci miſcuit ipſa mero.
Talibus, optarem Reges accumbere cœnis,
Quas condit ratio, colloquiumq; decens,
Plùs ſapiunt doctæ, quàm lautæ Principis artes,
Mens famam, fumum lauta culina parit.
Vix aliquando tulit meliores Curia ſenſus,
Quàm commenſalis pugna diſerta fori.
Phyliriâ non ſic Thetius profecit Achilles
Sub ferulâ, quam cum miſcuit arma Lyræ.
Quis ſapiet? quem non cibat infinita facultas
Verbi, quod niveis ſub ſpeciebus adeſt.
Quis poterit meliùs cultâ certare Minervâ,
Divinæ mentis quàm ratione ſatur?

Regales menſas, quæſtio docta decet.

Quidquid id eſt, longo ſtudiј quod quærimus æſtu,
Nil niſi ſtultitiæ nomen habere poteſt.
Hoc in pane, famem ſtudioſa Palatia ponant,
Plùs Ceres hæc Muſas, quàm ſua bacca juvat.
Eſt equidem Cynthi merito bona fama labori,
Sed laurum, major laurea, credo premit.
Gutta quid oceano? quid fert ſcintilla calenti
Mulciberis Lipare, quem capit ipſa, foco?
Quid Cœnæ Domini, vel menſa Platonica digni,
Vel ſatis arbor habet Porphyriana boni.
Hinc fluit ingenium; fluit hinc regina poteſtas,
Sceptris, & ſtudiјs hinc DEVS captat opem.
Det mihi terra parem, dent ultima ſæcula Regem,
Sanguine qui potet ſubdita Regna ſuo.
Quis ſic lauta parat magnæ convivia menſæ,
Vt Cives propriâ carne cibare velit.
Pelopidam, legimus, fraterna prole Tyeſten,
Damnatos ſuperis reſtituiſſe cibos;
Vt vidit, triſtes amovit Cynthia vultus,
Infandas texit nox ſtupefacta dapes.
Thracius humanis præſepia carnibus explet,
Non tamen has eſcas, ipſe Tyrannus, edit.
Imò dat Herculeæ pœnas pro crimine clavæ,
Et qui pavit equos, corpore paſcit, aves.

Cru-

Crudeli Natum Memphyticus hoſpes in eſca,
Fertur pranſuris appoſuiſſe Dijs.
Avertêre genas, puduit data fercula nôſſe,
Armum quem rapuit, pendit avara Ceres.
Sed nobis alio, prout & diſtinguimur ipſi,
Viva fuit CHRISTI *tradita, jure caro.*
Verba mihi deſunt, quibus explanare, modumvè,
Quo fit homo panis, ſubſidiumvé queam?
Deficit officium linguæ, ſuperataq; cœli
Arcanis, tacito vox ſtat in ore rigens.
Quoq; magis luctor, magis eſt elinguis Apollo,
Indignus ſurdâ rem tetigiſſe chely.
Ergo ſatis fidei felicior aura beatæ,
Vela ſacræ Cereris, votaq; noſtra feret.
Me miſerum! cur tarda meæ Lucina Parenti,
Adſuit! id quod ſum, cur mihi ſerò datum.
Hâc ego dum veſcor contrito pectore cœnâ,
Iam, jam captivâ Tartara mente peto.
Vndè tot amiſi, quot ſæcula computat orbis;
Delicias Sancti quæ tenuêre cibi.
Nunc quoq; ſola fides, animi ſancita tuetur,
Et melior, qui non gaudia tanta videt.
Aſpicio panem, nix candida veſtit, odorq;,
Et ſapor eſt panis, ſphærica forma patet.

Nil

Nil tamen hinc exſtat, ſola eſt ſubſtantia carnis,
Quæ nullas ſpecies immediata capit.
Credo, quod eſt tectum, non quod pupilla probavit,
Exoculata fides, hæc bona, ſola videt.
Et DEVS hic & homo latet unâ nube receptus,
Blandior hic lapſis, acrior ille reis.
Inter utrumq; nihil medium, Ceres, unda, colorq;,
Naturæ Domini cedere juſſa ſui.
Heu quis id aſſequitur! nunc veri munera panis,
Nunc DEVS, unito corpore, verus adeſt.
Nunc ſacra congenitas ſpecies ſuſtentat Eleuſis,
Mox ſinè ſubjecto, cælica dextra tenet.
Nec licet incerto ſensûs errore vagari,
Ambiguaq; levem ſpe temerare fidem;
Sed quidquid geſtum eſt, modò certâ lege geratur,
Formari corpus, mens animoſa probet.

Excedũt captus hominũ, decreta Tonãtis.

Scilicet, hic mos eſt Divini roboris unus,
Humanam ſupra, plurima poſſe fidem.
Quàm capimus, res eſt, communibns edita cauſis,
Ingenium, virtus obruit alta DEI.
Hinc æterna, prout noſtram Sapientia Cœnam
Inſtituit, ſic eſt non capienda ferè.
Sacra dies aderat, quâ Sion more vetuſto,
Iſaaci recolens fœdera, Paſcha colit.

Iu ribus

Iuribus Hebræis nil obtrectante Magistro,
Et sua bissenis mensa parata viris.
Quæq; statûs veteris gens consuetudine gaudet,
Irritat exactam lex violata fidem.
Conciliant animos qui servant acta Parentum,
Nec facili Reges pristina voce negant.
Phæbus in occiduum lustratis urbibus æquor
Languenti fessos, tunc face vertit equos.
Tardius ac suevit; quàmvis fumare videret
Cornipedes; ussit longior ora sitis.
Sêu quod major ovis Phryxææ flamma gravaret,
Vt potè, tunc præsens Martia Luna fuit;
Sêu quod ab inspectis didicisset cautior astris,
Qualia fata Duci gens Solymæa paret.
Crediderim satiùs Phæbum voluisse morari,
Nè grave concubiâ nocte stetisset opus.
At nox roriferis violentior irruit alis,
Quæ colluctantem vicit iniqua diem.
Officium Solis pensavit plurima lampas,
Atq; premens lucem, nox vice pressa, pari.
Ornantur mensæ; moderato stragula luxu,
Ad speciem nivium lintea pura nitent.
Condit munditiês frugalîs fercula cænæ,
Et laudi est, justâ lege modesta Ceres.

Exosos reddit novitas inducta Dynastas.

(R) Non

Non hic Phasis aves, non cruda Vitellius auri
Munera, pavonum non cerebella dedit.
Arcetur Sybaris rosa, proscribuntur inanes
Deliciæ, nullas gemma propinat opes.
Non hîc offa calens, non grandi saccara turre,
Non parit insuetam rarior esca famem.
Exiguæ, sed quam fecit Sapientia, mensæ
Omnis erat, lactens agnus, & uva cibus.

Frugales victus cumulant æraria Regum.

Frugales victus, sunt vectigalia Regum,
Decoquit ingentes luxus in orbe thronos,
Nescit in Ægæo jactari regna profundo,
Nescit agi laceras in vaga saxa rates;
Qui placidis lautam reserat Syrenibus aulam,
Mox Cleopatræis interimendus aquis.
Serò quis emigrare cocis jubet, exule gazâ;
Serò quis amissis statq;, gemitq; bonis.
Quàm benè! quod modici Rex noster jure salini,
Nec nisi quæsitis utitur ipse cibis.
Pulsa fames tenui, quam protulit, hospes in esca
Cum Domino, saturi decubuêre Senes.
Sic tamen impleri cêu mens jejuna volebat,
Aût foret à mensa bis patienda fames:
Scilicet expleto legalis munere cœnæ,
Vult aliâ cives Rex satiare dape.

Bis igitur fameat, geminâ qui lege cibari,
Mentis vel ſtomachi, bis recreandus amat.
Is bene curatur, poſt lautæ obſonia menſæ,
Cûi potiore fames parte ſuperſtes erit.
Hic jam Muſa ſile? ſuperas nova fercula voces,
Angelicum penitùs, carmen habere volunt.
Ipſe Tuo, quis amor? tot corpora, corpore paſcis,
Ipſe Tuo pellis Sanguine, CHRISTE ſitim.
Accipe, dixiſti, memoriq́; in pectore conde
Quisquis es, en corpus ſub nive panis habes.
Hic, teſtamentum, nova qui feret omnia terræ,
Debebit noſtri Sanguinis eſſe calix.
O! mihi! quàm celeri Ceres immutata valore,
Quàm citò quod fuerat, deſijt eſſe merum!
Non citiùs, quondam ſtetit ingens machina mundi,
Eſt pariter Verbo, quæ fabricata Tuo;
Non citiùs Divæ penetrant incognita mentes;
Quàm Tua vis panem, corpus & oſſa facit.
Frugalem dixi, lautam nimis indè vocabo,
Menſam, quæ tanto ſanguine parta fuit!
Hic luxus CHRISTI, luxus ſupereminet omnes,
Quis Rex in verum ſe dedit ipſe cibum?
Sunt equidem certo regalia munera ſenſu,
Sanguis, quo populi publica vita ſtetit.

Rex bonus in populi, ſe totum dedicat uſus.

Belli nervus opes; animam bonus ordo regentis,
Ac ratio sapiens suppeditare solent.
Est caro magnus honor, donataq; Civibus omnis
Commoditas, salvi pro ratione status.
Hinc quoties Patriæ totâ virtute saluti
Incumbunt, ipso sanguine regna fovent.
Et quoties, Reges subeunt genus omne malorum,
Pænè volunt cives carne cibare suos.
Hic modus est alijs; formali corpore CHRISTVS,
Nos alit, & vivo Sanguine præstat opem.
Tollite Trinacrijs Cerealia Numina campis,
Hæc nisi sola potest exsatiare Ceres.
Tollite Pannonium cum fætis vitibus Evan,
Hæc nisi sola potest, uva levare sitim.

ELEGIA XXV.

Thermæ Regales,

Sêu

CHRISTUS in Horto Gethsemani sudans.

SEmper amant, populoq; throni, sceptroq; potentes,
Indulgere suis quid speciale plagis.

Aût reparare placet veteres, aût ponere sedes,
Et nova quæsito figere tecta loco.
Romulus effusos fraterno sanguine muros,
In bubula Regnum fundat Elisa cute.
Arte Semiramidis, super alta Palatia Regum,
Pensilis Alcinous, pensilis herba fuit.
Theca graves sumptus dedit unguentaria Galbæ,
Exiguus magnis censibus emptus odor.
Aurelio via strata placet, placet Aula Neroni,
Quam lustrat flammis Vrbs Tiberina suis.
Gnossiaco cæcis errans ambagibus orbi,
Dædaleâ factus stat Labirynthus ope.
Hinc alijs, alijsq; nitet sacra regia donis,
Quæ tribuunt cuivis commoda certa foro.
Pro! superi! quàm vanus erat labor ille, decusq;,
Immemori Lethes cuncta sepulta freto?
Quamq; dedit speciem largissima dextera rebus,
Hanc rapit infelix intumulatq; cinis.
Digniùs in proprio memorandas sanguine Thermas,
Præparat Isaciæ sacra corona Domus.
Digniùs infirmo Rex IESVS consulit orbi,
Purpureas fundens in medicamen aquas.
Nam licet augustæ pereant cum tempore moles,
Gethsemani durant tuta lavacra Sali.

Si quoniam cessit prior ætas, posthuma quæq;
Sæcula mundari, labe scatente petunt.
Vltimus à Stygijs maculis, si postulet esse,
Liber homo, nunquàm fontis egebit ope.
Sufficiunt cunctis Gethsemana balnea culpis,
Posterior pariter lota fit atq; prior.
Est CHRISTO nostræ non invidiosa salutis
Gloria, sanguinei copia magna freti est.
Quas ultro fecit, sudoris munere Thermas,
Omnibus ex æquo, cùm volet, ipse dabit.
Tollite Cyrrhæos, Erymanthi tollite lucos,
Quos vel Echionij, vel levis Arcas habet.
Molles Hesperidum curæ, vigilisq; draconis,
Aurea, jam frondes non mihi mala ferent.
Quid Platanus Xerxis? quid verna rosaria Pæsti?
Atq; sagittiferæ quid nemus omne Deæ?
Quid ramosa Paphus? quid sunt Parnassia prata?
Ad Gethsemanij pinguia dona soli?
Hinc ego, quod nulli mihi possunt sistere luci,
Dulce salutiferis, ut volo, potor aquis.
Hinc mea candidior nivibus, vel lacte ligustri,
Spes exit, quæ cêu coccinus ater erat.
Non opus, ut liquidum mihi provocet ungula fontem,
Aligeri, prout est ungula fortis equi.

Vos

Vos quoq; quas vel amor, vel tristis lachryma lym-
In scopulos, vel aquas solverat este procul. (phæ,
Incæstos latices, Ægæi funera ponti
Odimus; impura est Pelea Tethys amans.
Quæq; latrat, Siculis quoties offunditur undis,
Purpureo Nisi filia crine nocens.
Non Acis, non hic uxoria flumina prosunt,
Totaq; fonte madens nil Galathea juvat.
Omnia si coëant, magno compulsa tridente,
Nil poterunt Stigijs æquora ferre malis.
Vnica Thermarum Christi, lavat omne, quod atrū est,
Vnica par, salvum reddere gutta caput.
Sit velut Æthyopum facies, aût decolor Indus,
Sit nigra, cêu Styx est, hinc erit alba gena.
Non ego, quas Pannon, vel quas dat Hetruria ther-
Optabo maculis in vada pura meis. (mas,
Non peto Pactolum, quem rex infecerat auro,
Aurea quandò famens abluit ora Midas.
Non freta Clytumni virides lambentia ripas,
Quo poto, niveum redditur omne pecus.
Quid meliùs præstat, toto mihi corpore sudans,
Rex DEVS hic fons est, quem mea vota petunt.
Os, oculosq; simul rubeis humoribus undant,
Cæsaries multo sanguine tincta madet.

Sanguis

Sanguis, ſunt humeri, cervix eſt candida ſanguis,
Pectora purpureum ſanguinis æquor habent.
Solvitur in thermas, ô quæ dignatio! CHRISTVS,
Quod patimur turpes, ut lavet omne ſcelus.
Regia ſic quævis largo frons gurgite manet,
Enatet ut populis publica certa ſalus.
Sudores Regum, ſunt optima pharmaca Civis,
Quos labor & vigiles elicuêre throni.

Dum ſudant Reges, Cives in pace quieſcunt.

Fertiliùs nunquàm viruit Gethſemana tellus;
Quàm tunc, cùm ſteriles, hic rigat imber, agros.
Nunquàm fructiferis melior, vel frondibus arbor,
Vel rivo felix uberiore fuit.
Quodſi Cadmæo tumulati vomere dentes,
Belligeros rarâ meſſe dedêre viros;
Fataliſq; ſimul jacta eſt ſementis, Echion
Ferreus, & fratrum ferrea nata ſeges.
Quæ tibi ſuccreſcent meſſes? frugiq; pudores?
Cùm pudibunda tuus ſemina ſanguis agit?
Obligor, ut ſimili niteam cum ſtipite flore,
Si luteos ortus dat mihi Mater humus.
Nam quia munifico CHRISTVS ſe rore propinat,
Et Gethſemaniis Dux inaratur agris;
Quid niſi ſancta dari de terra pignora ſperes?
Chriſtiadaſq; ſuo de genitore ſatos.

Quid

Quid nisi purpureo florebit compta rubore?
Dignior, ac quam dat Perseus ille, rosâ!
Nescio, quo vultu nostros spectabis abortus?
Qui nihil ex tanto semine prorsùs habent?
Degeneres animi cœlestia munera spernunt:
Sanctæ radicis pessima poma feres.
Sêu tamen avertas oculos, ego sanguine supplex,
Mandari vestro crimina nostra petam.
Sêu me respicies, ego largæ flumina frontis,
Plùs æquo sitiens ore patente bibam.
Quid moror? & Stygijs permitto carbasa ventis?
Fundit Erythræũ jam mare CHRISTVS amans.
In faciem pronus, submissaq; sternitur ora,
Aût tenet inflexum languida membra genu.
Sed quoties nostræ videt improba crimina vitæ,
Sanguineo toties totus in amne natat.
Et cadit, & surgit; mortalis noxa labori est,
Inclinat stratum sarcina nostra DEVM.
O quoties terras, quoties testatur Olympum!
Quod velit humanis ingenuisse malis.
Non vult interitum nostri; cur ergo retardas,
Cur tenet affectus Tænaris umbra tuos?
Cur id amas, quod amare nefas; proscriptaq; mundo
Crimina, præsidio deteriore foves?

Si tamen æternæ tangunt incendia pœnæ,
Tempus erit læsi quærere jura poli.
Non procul hinc, tristi frondebat Myrrha virore,
Sparsit ubi madidā sanguine CHRISTVS humū.
Omen Myrrha fuit, quanto mea crimina luctu,
Quali mortalis funere vita stetit.
Fasciculum Myrrhæ poterat tunc dicere Sponsum,
Inter eos luctus Sionis acta nurus.
Hîc pingui succo viridis manabat oliva,
Fallimur? ipse sui CHRISTVS Oliva virens.
Hîc dederat vitis maturos sanguine botros,
An CHRISTVS, Cypri verior ipse botrus?
Hîc grandi meliùs crevit sub pondere palma;
Flebile culparum palma notabat onus.
Sic aliæ, certo ludebant funere plantæ;
Frons quævis facinus signat amara meum.
Imò suis etiam certant virtutibus herbæ,
Et Domino celerant indoluisse suo.
Solus homo crudis truculentior esse cicutis
Durior & duris quercubus esse studet.
Non satis hic error, vetitæ salvaverit escæ,
Mens mea seduci non eget, ipsa mala est.
Viderat æthereâ Pater immortalis ab arce,
Sanguineo Natum fonte madere suum.

Viderat

Viderat accensis frontem sudoribus uri;
Siccari fauces, proficiente siti.
Mox quis amor? calicem fellis submisit amari,
Hûic nisi flamma calens cedere jussa mero.
In pretium mundi, quæ mens mitissima CHRISTI?
Quod vel vile nimis, vel fuit acre tulit.
Attamen hinc sceptris, hinc civibus effluit omnis,
Et miseræ plebi, Cæsaribusq; salus.
Transeat, ajebat, quamvis transire nequiret,
A me, summe Pater, transeat iste calix.
Non quod fata pati, mortemq; subire timeres,
Sed quia jam nosti quàm ferus esset homo.
Obrueris tandem, nostrorum mole laborum,
Depressit scapulas, sarcina culpa Tuas.

ELEGIA XXVI.
Imbelle stratagema bellicum, Captus in osculo JESUS.

EST aliquid, merito palmam quæsisse Gradivo;
Et manibus fortes conseruisse manus.
Vis occulta gravis, sed parva laude triumphat,
Nec nisi per timidos ars juvat ista viros.

Non est insignis victoria, fraude parata.

Cervorum mos est, latebras armare, dolosq;,
Aût ex horrisono velle nocere specu.
In patula prædam Lybicus Leo quærit arenâ,
Nec nisi bellaci sanguine gaudet ali.
Immeritæ fraudis genitrix formido probrosa est,
Cûi virtus cordi, clam pupugisse dolet.
Imbelles animi, quid aperto Marte pararent?
Dum clandestinâ tutiùs arte petunt.
Hâc Duce, si Dux est, quæ vafris utitur armis,
Et tetrâ latitat fraus cooperta styge.
Dicere debueram, dux fraudum, talia Iudas,
Isacio Regi subdolus arma movet.
Nox erat; explicitis orbem nox impulit alis,
Et tenebræ nigros exeruêre sinus.
Aura tacens placidi torpebat pace Favonij,
Nil minùs, ac belli causa timenda fuit.
Nullis frugigeri resonant mugitibus agri;
Aût Lycaon atrox insidiator ovis.
In Sylvas abiêre feræ; quodcunq; timetur,
Dispersis gregibus, respicit antra malum.
Iunonis, Martisq; vagæ, Venerisq; volucres,
Et Iovis, in nidis jam tepuêre suis.
Noctua sola gemit, magni præsaga doloris,
Ausi sub stabulis exululare lupi.

Omen

Omen triste fuit, sub ovino vellere tectam,
Quæ plùs blanda nocet, quam truculenta, feram.
Ipsæ etiam vitreos non vexavêre lapillos,
Ipsæ consuetâ pace feruntur, aquæ.
Æolios fluvij gaudent cessisse furores;
Nullaq; riparum verberat unda latus.
Omnia languentes sparsêre papavera Senni,
Pro dolor! una est Vrbs Solymæa vigil.
Aptiùs in tenebris, radios exosa diei,
Terrarum feritas insidiosa latet.
Ignavo lactat sævas nox ubere fraudes;
Impietas hominum noctis alumna probe est.

Fraudibꝰ atq; dolis tutũ nox præstat Asylum.

At Phœbe nigro vestivit sidera peplo,
Et rapuit tremulas imperiosa faces.
Avertit faciem, reddi rata crimen Atræum,
Incæstosq; timens sanguinolenta cibos.
Obruor à lachrymis, artus sinè viribus omnes;
Effluit in corpus plurima gutta meum.
Et mallem nescire scelus; sed scire necesse est,
Quàm gravis illius noctis imago fuit?
Cùm lucem stellæ, faciem cùm Luna negaret,
Et solùm toto funus in orbe stetit.
Non tamen obtrita est rabies, dant lumina tædæ,
Infaustæq; diem restituêre faces.

Bellaces ardent præfixis ignibus hastæ,
Lampada præusti sustinuêre sudes.
Iam propè lux aderat, quâ lictor & impia Sion,
Detexisse pij quæsijt ora Ducis.
Si tenebras rectè, lucis sub nomine tango,
Quam geminæ noctis dura catena premit.
Nam penes immensam, nox omnia lumina, lucem,
Illa potest atram sola fugare Stygem.
In tenebris lucet, sed non cognoscitur ulli,
Clara cûi lux est, sed tenebrosa fides.
Vndè licet facibus, licet obruta lampade nox est,
Ast aliâ fuerat nocte gravata Sion.
Vnicus ille videt, cûi se, lux ipsa, videndam
Concessit, nunquàm dignus id esse, quod est.
Vnicus advertit IESVM, sinè lumine Iudas,
Oscula cùm Domino dat sinè fronte suo.
Non tamen arcetur; facili se porrigit ore
CHRISTVS, & insidias, pignoris instar habet.
Regia mens nullo lædi se vulnere sentit;
Sciređ dos magna est, dissimulanda pati.
Muneribus citiùs, quàm ferro vindice reges
Proficiunt, fuerit si populare scelus.
Projectæ mentes, mulctas, in classica sumunt;
Non semper vitijs apta securis erit,

Sæpè fit asperior post verbera, mẽs rea culpæ.

Pœna

Pœna dolos animat; meliùs frænaverat Urbem,
Auguſtus donis, quàm ferus enſe Nero.
Hîc nihil altus honor, nihil oſcula ſuavia proſunt;
Quis probus eſſe poteſt Iſcariothe duce?
Ipſe præit ſceleri; quanto ſuccedere paſſu,
Quàm cautè, miles debeat, ipſe docet.
Nec ſpatium quodquam fuerat, data ſigna morandi,
Curritur, ut currunt ære ciente canes.
Armorum ferit aſtra nitor, rabiemq́; furentûm
Exæquans, ipſi vult gravis eſſe DEO.
Hinc micat haſta frequens, volucres hinc aura Dra-
Diſtrahit, ut Stygium noveris ire Ducem. (cones
Ferreus indurat crudelia pectora thorax,
Cor chalybem ferro, duritieq́; præit.
Hæc Arabes arcus, hæc ſtringit dextera fundas,
Et ſi quæ poſſunt barbara tela dari.
Punica Romuleis conferri ſigna maniplîs,
Aût Macedûm caſtris, Perſica caſtra putes.
Sic fera victorem timuit Germania Druſum,
Regnaq́; tot Cyrus fregit Eoa viris.
Si numerus minor ille fuit, ſed cura nocendi
Major, & exſuperans maxima damna dolus.
Bellorum gravitas, paritur diſcrimine cauſæ,
Noxia plùs perimit, quàm numeroſa manus.

Major ab exigua vis solet esse manu.

Plùs nocet effuso, parvus licet agmine miles,
Quàm numero præstans, sed moderatus eques.
Nec vagus, aût fracto delabitur ordine Mavors,
Sed certo quævis signa recepta gradu.
Fama fuit Solymis, generoso sanguine CHRISTVM
Tutari, Dominum plurima castra sequi.
Quidquid amica Tyrus, quidquid gentilis Edessa
Educat, ad Regis creditur esse latus.
Vndè pari sperans, CHRISTO concurrere Marte,
Non indisposito milite Iuda ruit.
Sed nec servorum, procerum nec copia Regi,
Tres, nisi tot contra signa, fuêre viri.
Hi quoq; nec telis, nec acutis ensibus apti;
Oppressit gravior lumina tuta sopor.
Non aliter stertunt, hyemis quàm tempus alauda
Edormit, vitæ nescia pænè suæ.
Vt tamen & miles veniens, & stridulus àër,
Hanc nubem ex oculis, ut pepulêre faces;
Convaluit sensus, sed mens propè mortua facta est,
Cum tot signa vident, totq; venire Duces.
Extremas vires, animus tentare jubebat,
Sed quid tot cuneis, unus & alter obest?
Pumila quis numero, Typhæam vincere mentem,
Aucta potest quævis rumpere valla Thetis.

Quid

Quid moror? & laxis ruit impiger hostis habenis,
Quâ dedit infaustâ, dux sibi, signa manu.
Ipse, sub antiqua pietatis fronte, scelestus
Amplexum Iudas, blandaq; verba tulit.
Et fuit hic gravior, quàm barbara vincula, nexus.
Quo CHRISTVM, Iudæ perfida dextra, tenet.
Pax bello pejor, quàm subdola lingua ministrat,
Et placidæ ripas depopulantur aquæ.

Fictus amãs gravius lædit, quã publicus hostis.

O scelus! infandam mellita per oscula mortem,
Pacifico sævam vim tulit ore Iudas!
Accelerant jussi, prout annuit ille, manipli,
Nec certas leges, arma soluta tenent.
Creverat hinc animus, quod nullo milite Christus,
Nullâ cinctus erat belligerante manu.
Quanquam sidereas acies, & robora Cæli,
Par erat, atq; potens opposuisse DEVS.
Imò sat ipse fuit frangendis hostibus unus
Majoris nemo roboris esse potest.
Nam simul objecit pectus, prostrata tot arma,
Grandinis in morem tot cecidêre viri!
Intuitu solo parta est victoria grandis,
Et clypeis, oculi fortior ictus erat.
Quocunq; aspiceres, gladijq; viriq; jacebant,
Vt steterat, cecidit strenua quæq; cohors.

Omnia communis strages jam signa tenebat,
Omnis pallebat morte, metuq; locus.
Ite bonæ volucres! vocales ite triumphi!
Victorem CHRISTVM terra, polusq; canat!
Et poterat jam tunc, Solymis, sceptroq; potiri,
Sed vi detectâ maluit ipse capi.
Arguit imbelles & lapsa resumere tela,
Armari cuneos in nova fata jubet.
Donantur vitâ, qui vitam perdere quærunt,
Et subit hinc duris acrior ira viris.

Quæ capit ingratus munera, tela facit.

Ipsa, (*quod ingratis solitum puto,*) dona quibusdam
Proxima patrati causa fuere mali.
Ora modesta ferox, crines manus involat audax,
Ferrea captivant vincula Numen amans.
Quos meruit, dedit immerito, gens perfida funes;
Adstringit Regem serva catena suum.
Iamq; redit capto, lictorq;, furorq; Gradivi,
Insultat feritas jam Solymæa DEO.
Aligeræ, quid id est? cælis erumpite mentes!
Vindicet innocuum dextera vestra caput!
Obruat excordes flammis ultricibus hostes,
Incineret sævam fulmen, & æthra Sion.
Vos nisi somnus habet, vigili vos stertitis orbe,
CHRISTVS ubi famulam compede verrit humũ;

Vos

Vos tam fida manus, sicco spectabitis ore,
In Solymas Dominum sub fera jura trahi?
Tres, sed quisq; ducem forti præstare lacerto,
Quisq; Palæstinos par retinere duces.
Serò quis, amissâ, dat opem generosus arenâ;
Serò quis auxilijs perdita castra juvat.
Et tibi quid prodest gladium nudare minacem,
Numine captivo, spes tua lenta Petre.

Accepto clypeus vulnere sero datur.

ELEGIA XXVII.
Cæsar ad Rubiconem,
Seu
CHRISTUS Cedronē transfretans.

JAm Gethsemanijs trux Mars eruperat hortis,
In summo Lunâ deficiente globo.
Venerat ad ripam tumidi fera turba Cedronis,
Vnus is arma tenet parvus, utrinq; latex.
Vrbs vigil hinc, furor inde stat, exhibet ardens;
Altera lictores, altera ripa Sion.
Quod scelus advertens, captivaq; Numina duci,
Astrææ visa est, tristis imago queri
Quis furor arma dedit? nec enim benè, sumpta fuisse,
Dicere fas, ipsum quæ petiêre DEVM.

Prospera succedunt bella, favente DEO.

Belli causa suo tutari quælibet optat
Numine, propitio palma virere polo.
Quod cælos agitat, furor est, non utile bellum,
Et Martis facibus Tysiphonæa præest.
Sic ego, sic semper terris Astræa fugabor?
Non licet humanos incoluisse Lares?
Nunquam terrigenis habitare in sedibus astra,
Aût jungi poterunt fasq;, piumq; solo.
At saltim vestro natum de sanguine Numen,
Debuerat meliùs, prosperiùsq; coli.
Hicné capi meruit, qui Iessea sceptra meretur,
Qui tot ditavit mænia vestra bonis?
Nulla relicta via est superis, ut in orbe locentur?
Sic semper terris est odiosa salus?
Et quamvis serò vestros ego sisto furores,
Dum captus patitur vincula, vimq; DEVS;
Attamen hic odijs metam fixisse decebit?
Si pietas animo est, huc licet usq; viri!
Vox nihil Astrææ, nihil omina tristia prosunt,
Intercepta fero murmure, Diva loquens.
In medias trahitur diductis funibus undas;
An Cæsar fluvium transfretat, arma ferens?

Asperiora sequi, Prícipis esse puto.

Indolis hoc magnæ Regum, decus esse fatemur,
Mollibus abjectis, asperiora sequi.

Itur in abruptos colles, fluviosq; rapaces.
Quamvis plana via est, pacificusq; latex.
Sic nisi quærit iners firmos ignavia pontes,
Cum licet adverso pectore ferre fretum.
Exi Cedron aquis, tumido caput exere fluctu,
Res tibi contingit, tempus in omne memor.
Ille vadum superat, qui clausit littore Tethyn,
Ille tibi melior Nereus esse potest.
Crux patienda sacrum certa est præstare Tridentem,
Huic Domino famulas exonerabis aquas.
Iam tibi Cæruleæ posthac servire parentes,
Iam cedi Lymphæ squammea sceptra volent.
Imperium dabit ipsa Thetys patiente marito,
Et patiente suo mater Achille dabit.
Cælestis, quæ membra viri præsentia lavit?
Quæ tulit immensum Nereis unda DEUM.
Id tibi concessum; te nunc tuus enatat Auctor,
Suscepto vilis non potes esse DEO.
Hunc lambis retinesq; diu, vellesq; morari,
Fluctu præcipites impediente vias.
Quodsi Dædalides tepefactis Icarus alis,
Fecerat Icario nomina magna freto;
Si quondam pavidæ lapsus Athamantidos Helles,
Hellespontiaco signa dedêre mari.

Rapta novum terris si fecit Agenoris orbem,
Nos Europæi dicimur inde viri;
Castaq; si mersæ conservans corpora Vendæ,
Vandalicis funus Vistula luget aquis.
Cur tua lympha Cedron, quæ Christi sanguine tincta
Christiadis nequeat nomine, sancta coli? (est,
Illa etiam, ante pedes glaucis effusa capillis,
Contigit extremos amne tremente sinus.
Illa fero lapidi, qui vultum lædere passus;
Acrior offensis improperavit aquis.
Multa securiferos convitia sparsit in hostes,
Et pro captivo multa locuta DEO.
Iamq; moraturas, Numen cognoverat undas,
Vndè rapit celeri turbine, lictor iter.
Quid faceret? voluit Cedron retinere procellâ,
Sed jussus Domini vota subire sui.
Ah! quoties fluctu properantibus obstitit armis!
Aût pontis voluit præcipitare trabes!
Ter funem rapuit manibus, ter raptus in ipsas,
Lictorum redijt, Rege monente, manus.

Magnanimæ magis enituntur in ardua mentes.

Gaudet in adversos impelli gloria fluctus;
Est animi quædam fortia nosse fames.
Augustæ mentes majoris pondera curæ,
Regius auxilium grande lacertus amat.

O!

O! superi, quàm mite genus, quàm gratia mollis,
Quàm frons est vobis inviolata nimis!
Præter vos etenim, quis talia cernere posset,
Et non trux rigido perderet igne caput.
Milite pons premitur, Christus pedes ipse jubetur,
Ignotoq; pium flumine nare latus.
Gleba creata super, DEVS immortalis it infra,
Quis scelus hoc animo dissimulante ferat.
Nunc tua, nunc Cedron toto laudabilis orbe,
Virtus, si plectas flumine Sion erit.
Quæ tibi serta dabit tellus? quæ sidera cælum?
Si cum ponte truces obruat unda viros?
Plùs est Eridani merito, tumulare furores.
Accensum vulgus plùs Phaetonte nocet.

Magnæ laudis opus populi sopire furores.

Sive placet fracto cuneos submergere ponte;
Protinus iratis pons laceretur aquis.
Sive supergresso, tabularum summa, profundo
Volvere Syriacis corpore rapta fretis.
Volve per immanes Scyllas, scopulosq; minaces,
Indulgens avido, quo velit ire salo.
Nec *nisi dissectis redeas pacatior extis,*
Abruptas carnes, ossaq; saxa gerant.
Distrahat in minimas, tempestas pontica partes,
Quodq; superfuerit corporis alga tegat.

Deniq;

Deniq; sive canes, quos educat ipse Palæmon,
Sive, jecur sparsum, piscis inultus edant.
Quod si parva tibi, tenuis spes fluminis undat,
Nec poterit celsas exsuperare trabes;
Auxilium ferat omne fretum, fontesq; propinqui,
Contribuant undis flumina quæq; suis.
Si quas alta nives Hæmi fastigia servant,
Si quas Parrhasijs occulit Arctos agris.
Quam soli glaciem, gelidus non exhibet Ister,
Quod sibi captivat Caspia bruma gelu;
In liquidos quævis solvantnr frigora nimbos,
Atq; juvent auctis debile flumen aquis.
Discolor è pelago quas sugere dicitur undas,
Huc vomat ex haustis Iris amica genis.
Quidquid alunt nubes, quidquid tenet imbrifer àër,
Officijs præstet larga procella DEI.
Omnibus hinc major Cedron, amnibus audiat unus,
Isiacum tumido transeat amne fretum;
Tunc pons in rapidæ subvectus tergore lymphæ,
Lictor Phasiacæ more natabit avis.
Tunc premet infelix funus, rursusq; sepultum,
Exspuet, & lætâ gestiet æquor ope.
Aût potius tenui, prout es, jam labere rivo,
Festinas revocet fons cumulatus aquas.

Imò

Imò si valeas, totus siccabere Cedron,
Numinis aspiciens humida membra tui.
Alveus illimi fervet vestigia fundo,
Divino nullus sub pede fluctus eat.
Secessit fluvius, tamen obex durior illo
Sauciat allisas ad fera saxa genas.
Quis melior Rubicon? Romæ qui limes habetur.
An quem Lympha rubens, sanguine tincta facit?
Hoc tibi Regalis nascetur semine murex,
Hoc tibi fonte Cedron gemmea grando fluet.
Hinc venient Syriјs effusa corallia rapis,
Hinc Sidon trabeas, hinc Tyrus alta feret.
Quæq; parit Cypriam, spumâ maris auspice Matrem,
Hinc genitrix casti concha pudoris erit.
Quid voveo? Cedron, est hostis cui tanta venirent,
Munera; Divinam quærit & ille necem.
Imo velim toto ripis ut in orbe careret;
Cedroniæ nusquam commemorentur aquæ.
Non poterat pressis à parte stetisse fluentis!
Isset ut attonito CHRISTVS utrinq; vitro?
Non poterat solidâ, ceû marmor, mole rigere?
Vt posset sicco desuper isse pede?
Præstitit id, quamvis majori tuta profundo,
Inferior plantis stans Galilæa Thetys.

Pallia Thesbitis veritus, discesserat amnis,
Hic audax, mersi surgit in ora DEI?
Hic pedibus limo gravis est? bene stare negatur?
Infirmosq; gradus lubrica fallit humus?
O mihi, si justas tot ferrent Numina vires!
Obruerem primum fluminis ipse caput.
Caucaseas rupes, Sithonica saxa cierem,
Quæ ructans premerent os salientis aquæ.
Nunc quoq; semper ego nigro carbone notabo
Hoc nomen, quod abhinc nec memorare decet.
Iam stetit adversâ superato gurgite ripâ,
Vndarum domitor, militiæq; DEVS!
Defluit in siccam, quod adhæserat, æquor arenam,
Vtq; bibit laticem, sic vomit, uda chlamys.
Irrotatur humus, nec parvæ munere guttæ,
Sed prout ex pluvijs currere rivus amat.
Dulcia membra madent; o quis siccare dedisset?
Aût flavam lymphis exonerare comam?
Sed mora nulla datur; cêu victâ Colchide felix
Iasonios Græcis redderet Argo viros;
Aût quasi Dardaniæ visâ Carthagine puppes,
Fausta salutarent littora tecta diu.
Tali lætitiâ, tantis sonuêre triumphis,
Arreptoq; volant signa nefanda DEO.

ELEGIA XXVIII.
Incognitus lustrator armorum.
Seu
Rex JESUS in Pontificum & Prætorum ædibus præsentatus,

ANnibal à puero Tiberinam perspicit Vrbem,
Quâ meliùs possint mœnia parte capi;
Ipse per armatos Macedo, sine milite muros,
Transilit, ut nosset debilis unde Tyrus.
Sæpè colonarem Cæsar mentitus amictum,
Vt Pompejanæ scisset aperta rei.
Sic meliùs semper, quoties res tuta videtur,
Ut Dux hostilem permeet ipse locum.
Quæ fauces montis? quæ sunt nocitura cavernis
Saxa? notet solus, quæ metuenda palus?
Vix etenim tantam, quantâ fas sceptra tueri,
Præmissus meruit miles habere fidem.
Aût piget augustam fatis emisse salutem,
Aût non sic, ut erant castra videnda, videt.
At meus Isacides, Solymas quo milite lustrat?
Ipse sibi telum, Dux fuit, ipse pugil.

In quo castra locet, Dux notet ipse sitū.

Nemo genus novit, DEVS est incognitus Vrbi,
Quæ flammis plectas, tecta videre placet.
Fortior in plagis, sub iniquo firmior ictu,
Non patitur, Iudæ quem putat aula pati.
Est alius, oculos alius cum sensibus intrat,
Idem, sed nec idem carne tegente DEVS;
Victor in occubitu, palmari morte triumphans,
Vltrices pœnas, quas tulit ipse dedit.
Sic puto, sic vellent, adversa per arma vagari,
Et tali peplo regia sceptra tegi.
Dum clades inter, sine cladibus esse liceret,
Atq; capax vitam, dum foret urna dare.
Cur tamen innocuos Solymæ sprevistis amores!
Non pudet, atroci solvere dona malo?
Illené qui vobis fraterno more placere
Quæsijt, immani cæde petendus erat?
Nil vos ætheteæ sedes, pia regna polorum,
Aligeri nil vos vincula dura movent?
Sæviet impuni Solymæjus ense Tyrannus?
Nulla paofanatis ultio danda sacris?
En trahitur vinctus, tinnitq; pudore catenæ!
Improperant Domino Sibila multa suo.
Qui mandata dabant, ubi versa est alea sortis,
Plùs odijs hominum, ludibrioq; patent.

Christus & Filius Dei est idem in masculino non idem neutrali.

Imputat eventus Ducibus plebs pressa sinistros.

Insultat

Insultat populus sceptris, quæ paverat ante,
Quoque magis timuit, plùs studet esse nocens.
Nec modus est iræ; lictor per compita quævis
Captivo, currit, signa sequente DEO.
Itur in accensas Caiphæ, qui præfuit aris,
Itur in Anniades bis iterumque domos.
Dumque loqui renuunt, ferit impius ora Minister,
Ferratâ, jam plùs ferreus ipse manu.
Aût potiùs verbo cunctas quod vicerit uno,
Prætorum CHRISTVS, Pontificumque theses;
Cæditur immani frendentis verbere lixæ;
In lucro est sceleris, quæ datur ansa DEO.
Dum ratione nequit, cæsim robustior Annas,
Victi verberibus prævaluêre senes.
O quàm densa meos irrorat lachryma vultus!
Illius quoties noctis imago redit!
Pejor ab Atræâ, quàm pallida Cynthia fugit,
Pejor ab infernis noctibus illa mihi.
Flere juvat, rabidæ cùm deridetur Idumæ,
Et tot, portat amans ludicra verba DEVS.
Miscentur colaphi salibus, pugnisque cachinni,
Omnia constanti CHRISTVS honore domat.
Et quo plùs miles, rabieque, minisque ferocit,
Plùs volet, exolvens crimina nostra, pati.

Forsan & impuras, quædam petulantior undas,
Fudit in augustum, femina jussa caput.
Vtq; Petrum vidit, sectâ conclamat eâdem
Affectum, vetitos introïjsse Lares.
Hic tu, qui mortem gladiosq; subire volebas,
Ejurare DEVM, Petre, ter ausus eras.
Forte tegens oculos ut haruspice diceret ore,
Quis cædat? lictor verbera crebra dedit.
Funditur haud aliter, quam si foret ipse cadaver,
Et nullus flueret, per sacra membra cruor!

Offensâ reputat pro pietate scelus.

Dum licet innumeris odijs vexatur olympus,
Est sceleri, pietas carpere posse DEUM.
Sic ubi confusum timidis Actæona cervis
Insequitur proprius per juga celsa canis.
Ille quidem est Dominus sed nescivêre molossi,
Quod sit in hirsuta, corpus herile, cute.
Quoq; minùs metuit, nosci sua membra putabat,
Hoc magis augetur morsus & ira canum.
Omnibus est idem, saturari Actæone fervor;
Ille novo nescit, dum volet, ore queri.
In me carnifices, in me convertite dextras!
Cerbereâ multùm pectora pota lue.
Nonne nocens ego sum? cur pro me vapulat ille?
Non benè, qui non est, dicitur esse reus.

Me

Me sputis, alapisq; petat, mea barbarus ora,
Intacto miles verberet ore DEI.
Quidquid ego patiar, plùs me meruisse putabo
Nil nocuit CHRISTVS, nil habet ille mali.
Sive flagris cædar, sunt mitia flagra nocenti,
Et levis est, quæ nos debita pœna premit.
Sive trahar vinctus, pro munere vincula sumam.
Respiciens Domini libera membra mei.
Improba cur atræ damnant ergastula nocti
Lumen, inoffensi quo patuêre poli?
Nox fuit, & nubes scelerum tristissima mundi,
Quam dedit, obscuræ turpior umbra Stygis.
Sed pulsa est, niveis ubi Christus splenduit astris,
Atq; gravis nocti lucifer ortus erat.
Nunc impune licet nitidum præcludere solem?
Quis poterit carcer Numinis esse capax?
Quæ tam laxa foret conflatæ spira catenæ,
Amplecti sphæras ut volet, atq; DEVM?
Hoc tamen infelix evincere nititur orbis,
Hujus stultitiæ est, Vrbs Solymæa, caput.
Nam cæli Dominum scelerato carcere claudit,
Et solem turpi compede, stultâ tenet.
Ille tacens, radiosq; suos, Numenq; coërcet,
Conservans animo pessima quæq; suo.

Sic

Mentibus arcanis credere castra, juvat.

Sic ego lustrari gentes, & castra putarem,
Ut sit secreti, munus id omne, tenax.
Is bene perspiciat, cujus sint roboris urbes,
Qui ne quid possit prodere, voce caret.
Ille per hostiles ibit securus arenas;
Qui flammam par est, eqvuleosq; pati.

ELEGIA XXIX.

Ingens Prodigium, In Regijs Veritas, *Seu* CHRISTUS in Aula Herodis.

UT nix Æthyopi contraria, Nereus igni,
Cæcus amat clarum talpa videre diem.
Accipitrem, trepidæ prout admisere columbæ,
Atq; gemens perdix, nidificare simul.
Ut Lybico patitur sociari Cerva Leoni,
Cum Scythico lactens agna cubare lupo.
Diligit invisum sic quævis Regia verum,
Quilibet hic verax est odiosus homo.
Ille placet, qui falsa quidem, sed mollia narrat;
Exitiumq; struens, oscula summa dedit.

Ut candorMauris, verum sic cõvenit aulis.

Qui

Qui retegenda tegit, ſcitu non apta revelat,
Aularum placiti, non probitatis amans.
Qui ſimulare genas, mendaci fallere nutu,
Certior ille poteſt aulicus eſſe bonus.

Qui reticenda loqui di dicit, nō diſplicet aulæ.

Nudus honor, variosq́ timens mens recta colores
Exulat, & Regum limina magna fugit.
Iuſta petens, avidus; ſimplex, eſt vera locutus,
Sincerus ſermo, creditur eſſe rudis.
Sic rectis ſemper clauduntur regna miniſtris,
Raraq́ quæ verum diligat aula fuit.
Plùs igitur cunctis Herodia curia ſceptris,
Intra quæ verum limina Numen habet.
Sed doluit, multâ vix eſt ingreſſa querelâ,
Innumeris probitas exagitata malis.
Scilicet aularum ſolito contemnitur uſu,
Mille jocis, CHRISTVS ſcommatibusq́ patens.
Nox gravis inſomni; ſed lentiùs exiјt Vrbe,
Namq́ diem longæ detinuêre moræ.
Fugit ab Arctoo Pyrois ſub Cærula, curru;
Nec tetigit ſvetas, ore madente roſas.
Miratur Geticus, nec ſcit, quæ cauſa Bootes,
Plùs illum juſto, ſe pepuliſſe putat.
Vt tamen advertit Dominum quoq́ ſtertere ſolum,
Arguit ignavi lumina pigra thori.

Commonet Officij roſeo Taumantias ore,
Ille vocat celeres, ſemiſopitus equos.
Sed vix erexit, vitreis caput abdidit undis,
Et quaſi tempus adhuc non foret, antra petit.
Nunquid in Alcmenæ partu, geminata laborat,
Herculeumq́; tegit, nox, genitricis onus.
Nunquid in Hæbræas Ægyptia nubila terras,
Tranſivêre, quibus ceſſit operta Pharos?
Cimmerijsné Sion tenebris & funere victa,
Nullum jam meruit cæca videre diem?
Cur ſic exeritur lentus? nec ab æquore Phæbus,
In mæſtos properat luce recente polos?
Noverat omne malum, quod iniquior aula parabat,
Vnde ſub Oceano, lux tremefacta ſtetit.
Sol etiam juſſit currumq́; diemq́; morari,
Certus ad occaſum funeris ipſe ſui.
Invitis igitur flammis facieq́; rubente,
Lethiferam voluit ſignificare Crucem.
Imò negare diem, cæptamq́; immergere ponto
Optavit, cernens quæ probra Numen habet.
Vt lictor vinctum, trahit ad Prætoria jura,
Præcipiti nimium ducitur ille gradu.
Huc celer, huc adeat, quem regia gloria multùm,
Quem trahit illicijs aulica vita ſuis.

Hoc

Hoc meliùs discet, quæ sit bona causa Magistro,
Phylliriâ didicit, quàm puer arte Dolops.

Felix quæ rectè, leges habitura regendi,
Ipsius monitis utitur aula DEI.

Felix quæ regitur legibus aula Dei.

Quod non ad superûm normam formatur & æqui,
Instabiles habuit, culmen honoris opes.
Quis peto, distinxit populos, & sidera Regum?
Quis præesse Duces castra subesse docet?
Quis prior infudit mores, & dogmata vitæ?
Nonnè DEI labor hic? quem sibi ducit homo.
Aulicus ergò DEVS, quia formam tradidit aulæ,
Si non corrupti nominis illa foret.
Nunc alio prorsùs titulo petit aula vocari,
Scire voles? Circes, vel Cytheræa domus.
Quot socios Ithacus nunc aspexisset Vlysses?
Qui positis hominum moribus antra colunt.
Quiq; sub effigie blanda, vultuq; sereno,
Ablactant Vrsos, sætigeramq; suem.
Hinc ego non aulas procerum, sed lustra ferarum,
Absq; bono dicam regia tecta DEO.
Vnus Herodes habet; sed quali tractat honore,
Numen! in humana, carne, situq; latens.
Id docet exemplo, non vi sermonis, ut omne,
Pellitur ex aulis, eijciturq; pium.

Aulis omne procul fugit atq; fugatur honestum.

Quævis pro vitio virtus reputatur in aulis

Ut semper verax odium sententia gignit,
Et candor nomen simplicitatis habet.
Absq; poli studio, nunquam durabile sceptrum;
Regia cœlesti tutior aula fide.
Quodq; DEUM contra præsumere viribus audet,
Divisum imperium mole gravante cadit.
Exhibet hoc JESUS facto, dixisse negatum est;
Ad reprobos verò, gratia nulla, sales.
Vix aliquid voluit verbis proferre modestis,
Ingenti mota est regia tota sono.
Exoritur clamor populi, risusq;, jociq;,
Serviles feriunt ora beata manus.
Rex super Assyrium recubans tumulentior ostrum,
Insultat Domino voce minisq; suo.

Æternabit honos, quē Deus ipse dedit.

Immemor; æternos nisi Numina poscere fasces,
Mortalis profugo labitur aula pede.
Quod modo formidat, simul altera flaverit aura
Ridebit solium fæmina, virq; tuum.
Quem miser irrides! breviter rideberis ipse,
Quando tuas alius rector habebit opes!
Tunc verò niveæ, detrito tegmine lanæ,
Non aliter, quàm si morio, tectus erat.
Tunc humeris Christi lusoria vestis inhærens,
Elicuit patulo scommata multa foro.

Ite

Ite procul luxus! aulis diſcedite pompæ!
Sidereum Regem gauſape vile tegit.
Vivat Sidonius ſecuro ſanguine murex;
Aſſyrius bombix viſcera nulla vomat.
Non equidem toto privari regia cultu,
Sed neq; vult molli pandere vela Papho.
Ornet Aventinos, ſed ſimplex purpura Reges;
Exceſſus membris, imperijsq; graves.
Ut quid lambit humum pretioſis fimbria gemmis,
Regaliq; nitens ſub pede torpet onyx?
Mundities luxum, bene caſtigata còërcet,
Nec pretium tanti, quàm proba forma venit.

Pompa decet reges cultu redimita modeſto.

At vos impuni ridebitis aſtra cachinno?
Crudelis Solymæ, plaudet inulta manus?
Non ita deliquit, tondens Niſæa parenti,
Purpureum parvâ forſice, virgo pilum.
Et tamen in ſaxo, de Virgine Scylla, relicta eſt,
Allatratq; ſuum, filia dura Patrem.
Hic ſcelus, hic tutum? nullos fert Iuppiter ignes?
Hic impunitis æſtuat aula malis?
Non ſatis explodi; quo venerat ordine ductus,
Hoc iterum, CHRISTVS Pontia tecta ſubit.
Hæret turba comes, ſimul hinc, ſimul inde laceſſens,
Quanta patet, probris mille referta, via eſt.

Quidquid prima domus, quidquid capit ultima plebis,
Accessit tristi pars scelerata foro.
Omnibus est eadem sententia, tollere CHRISTVM;
Impietas, pietas, quæ tueretur, erat.

ELEGIA XXX.

Candidatus ad Regios fasces totus Rubicundus.

Seu

JESUS nudus, virgis cæsus.

O *Mihi perpetuis Numen celebrabile fastis*
Quâ potero meritum pendere sorte tuum?
Vestiar ut justo, tu denudaris amictu:
Vulnera vestra, meis certa medela malis.
Mors tua, vita mea est, incommoda, commoda mundi,
Profluit in largo sanguine, larga salus.
Sic decet augustas impendi Civibus aulas.
Ut sortem populi, rex putet esse suam.
Quæ premerent cives, ferat ipse pericula primus,
Arceat arma suis sustineatq; bonis.
Qui proprio servat popularem funere vitam,
Ilius æterno pignore regnat amor.

Quæ cives onerant Rex ferat illa prius.

Incolumi

Incolumi regno, qui ſanguinis affluit uſu,
Dulciùs è grati pectoris arce, reget.
Id benè Rex IESVS, ſubjecto præſtitit orbi,
Vsq; tuæ nudus conſulit ille rei;
Tu tamen ingrato pro tantis nomine donis,
Adverſæ juras in tua damna, Stygi.
Fallitur officio, quàm ſervat gentis amicæ,
Proq; tot auxilijs verbera ſola refert.
Vnde Palatinos cum Daunia regia faſces,
Sveverat Auguſtis antetuliſſe ſuis.
Quæq; ſecuriferi portabant ſigna miniſtri,
Non niſi plectendis facta fuêre reis.
Iſacidæ noſtro, diverſo munere lictor
Adſtat, & immiti virga timenda manu.
Non ut in obſequium, quo juſſerit ille, venirent,
Sed Domini peterent ut pia membra ſui.
O ſcelus! ille dolet nudatur veſtibus ille,
Qui recreat, formis, qui bona quæq; tegit!
Qui plumis volucres, qui gramine jugera veſtit,
Et ſteriles flavis meſſibus ornat agros.
Qui villos pecori, lanam dat mitibus agnis,
Arboribus folium, molleq; tegmen api.
Quô ſua felices circumdat purpura reges,
Quo venit ignivomis auſpice forma polis,

Qui

Qui nitido tinxit quævis elementa colore,
Stelligero vastam fornice texit humum.
Ille patet sævis detecto corpore plagis,
Effrontes oculos fert caro munda DEI.
Hæc ego dum meditor, medias subit ira medullas,
Indignor lixis plùs tamen ipse mihi.
Nam nisi peccassem, certè sine crimine lictor,
Nec tantâ CHRISTI cæde, fuisset opus.
An sic, à niveis jam debuit artubus illi,
Candidus ad Tharios calculus esse thronos?
Cùmq; alij quærant sceptris à murice signum,
Sanguinis hic dignam fert rubicundus opem.

Tramite diverso regnorũ summa petũtur

Multis multa dedit trabeis suffragia virtus,
Hunc genus, hunc pulcher promovet oris honor.
Longior Arsacium manus Artaxerxia regnum,
Dentatis major dens juga summa tulit.
Xerxes belligeris hinnitibus ostra meretur,
Lesconiæ fuerat fixa columna mitræ.
Isacius solo meritos à sangvine fasces,
Ac niveæ Princeps omine carnis habet.
Sed stupet, & toto tremit omnis regia sensu
Debitus exangvi cedit ab ore color.
Spiritus exanimes propè tutus deserit artus,
Imaq; non solitum permeat ossa gelu.

Exhorret

Exhorret natura ſcelus, cum barbara cernit,
Nequiter Authorem flagra ferire ſuum.
Carnifices inter virgas, cum membra natare,
Saucia, diſſimilem cùm videt eſſe ſibi.
Fulmina quis languor? quæ vos patientia frænat?
Cur non dura fero vapulat igne Sion?
Parcitis? & Solymæ, ſine viribus eſſe Tonantem,
Aſtraq́ꝫ lictor, opis prorsùs egere putat.
Cur non iratæ triſtiſſima funera nubes,
Inducunt terris; eripiuntq́ꝫ diem?
Cur mala ſulphureis non ardent mœnia flammis?
Quis tepor eſt; Domino vim patiente ſuo.
Non ita peccavit jactis in ſidera clivis,
Et tamen in nitrio Phlægra ſepulta rogo eſt.
Non ita Salmoneus tonitru Iovis ambiјt audax,
Quem ferit in fictis flamma triſulca polis.
Nil Solymis? nullæ compeſcunt crimina pennæ
Ipſi quæ faciunt bella nefanda DEO?
Dicere quis poſſit, quàm crudi pectoris hoſtes?
Quantus obarmabat ſæva flagella rigor?
Mixta cruoriferis calcaria ferrea virgis,
Auſa fuêre ſacrum dilaniare latus
In ſcapulas, dorſumq́ꝫ ferox ſalit ungula ferri,
Quâq́ꝫ ſtetit, rupta non niſi carne ſtetit.

En etiam lictor, pro virgis' fustibus usus,
Qui totis, ut erant viribus ossa quatit.
Nemo sibi voluit tunc pectoris esse benigni,
Et vacuas pœnæ, nemo videre manus.
Sed quo plùs aliquis crudelia vulnera fecit,
Plùs animos populi demeruisse putat.
Immani nisu, sequitur fera verbera miles,
Nulla oculos rabies exsatiare potest.
Non sic Gnossiacum venatica prælia cervum,
Exercent rabido terga premente cane.
Non sic, quod lanio damnat, ceditq; macellis,
Torquetur miserum, percutiturq; pecus.
Quàm teneros CHRISTI lictor desævit in artus;
Tam grave supplicium nec Catilina tulit.
Ille fuit prædâ patriæ. sine crimine IESVS,
Cujus erat terris irreprehensa fides.
Cur igitur cêu latro foret, pejorq; pyratis,
Tot DEVS offensis, verberibusq; patet!
Stat lacer & nudus, circumplexusq; catenâ,
Regificas arctant vincula stricta manus.
Debile virgineo suffusum sanguine corpus,
Attinet iratis parva columna flagris.
Crimen scire voles? hominum studet ille saluti,
Amissasq; poli reddidit author opes.

Deficiunt apices, nec tot ſunt verba Camenæ;
Quot jam dira manus vulnera ſparſa dedit.
Quot læves plagæ creſcunt, & livida vibex,
Nix carnis, roſeo ſangvine miſta fluit.
Vt rubor affuſus lacti, vel murice tincta,
Lana recens albis, ut rubra juncta roſis.
Nec numerum, nec magna modum ſibi vulnera ponit,
Oſſa feret nudat dilaniata cutis.
Vt fluit imber aquis, ſic & caro ſciſſa flagellis,
Cêu unum vulnus flebile corpus erat.
At tibi quis ſenſus? quæ mens heroica Chriſte?
Quæ caperat frontem ruga ſevera tuam
Optabas plures ſævis lictoribus eſſe,
Quam geminas, quæ te detinuêre manus.
Sic nam dilexit mortalis commoda vitæ?
Sic tua flammabat pectora noſter amor!
Rebus in adverſis, probitas elucet amantis;
Nunquàm comperta eſt proſperitate fides.
Ille tibi verò conjunctus fœdere durat,
Dulcia qui tecum vult & amara pati.
Sed quis ſit talis, nunquàm noſcetur amicus,
Res tua, nî duro tempore. tota cadat.
Redditur, Illyricum per flammas puriùs aurum,
Certior adverſis illabefacta fides.

Verus in adversa sorte probatur amor.

Nemo tamen patitur, nemo plùs præstat amicis,
Quàm fatis animam qui dedit ultrò suam.
Cætera vel studium, vel tempus reddit adempta,
Indelibatas vita poposcit opes.
Hinc prout amissæ nulla est spes proxima vitæ,
Sic plùs est animam, quàm tribuisse fidem,
Quam quia Christus amãs nobis cum sanguine donat,
Quali rursûs erit cultus amore sibi?
Deficiunt vires, cessant lictoribus iræ.
Integra mens Christo est, plura flagella pati.

ELEGIA XXXI.
Coronatio Regis Judæorum.
JESUS NAZARENI
in Spinarum Imperio.

FRustra regales incus Lyparæa coronas,
Atq; parat pernox aurea sceptra Sterops.
Languet in ignito sudor Vulcanius auro,
Et didicit pretium majus habere vepres.
Projectâ nigram corrugat forcipe frontem,
Postponiq; dolet munera magna faber.
Est pudor augustis, si pensent, regibus ingens,
Ferre coronatum claro adamante caput.

Eſt pudor igniferi biſſeno ſidere cæli,
Vinciri frontem, Gnoſſia Virgo tuam.
Ecce DEVM redimit ſpinarum ſquallidus horror,
Et Dominas onerat vilis arundo manus!
Scilicet ad placitum mundi, res quælibet uſus
Accipit, aût ponit, cara levisve ſuos.
Populeâ laxos Tyrinthius arbore crines,
Daphnæâ flavam cingit Apollo comam;
Hinc omnis victor paribus dat temporá ſertis,
Doctaq; laurigerâ, frons niſi fronde calet.
Arſacides fulvo platanum, prætertulit auro.
Azyma, Caſtellæ fit diadema. Ceres.
Lechia currentem pecudum de pelle monetam,
Inter regificas conſtituebat opes.
Non quod inepta cutis, pretio contendere par ſit
Cum gazis, ſed ei talis habetur honor.
Nunc quod in exemplis mihi longior obtulit ætas,
Iſacius facto rex titulisq; probat.
Illi Cæſareum ſpinæ diadema fuerunt,
Sceptrorum nituit Canna modeſta vice.
Hoccè coronari terreſtres more deceret,
His uti ſceptris, ut DEVS ipſe thronos.
Vt mens eſt Solymis lictoria feſſa, furorq;.
Officijs rabie plùs operante ſuis.

A placito vilent res. pretiumq; trahunt.

Alphonſus Hiſpaniæ Rex azymo pane coronatus.

Obtegitur lacerum detrito murice corpus,
Grandeq; circumagit spina retorta caput.
Tunc Tyrio, Christiq; simul decorata cruore,
Purpura jam meliùs, visa rubere sibi.
Tunc auri, gemmæq; decus, superare repreta,
Frondibus, ac hirtis ausa fuêre rubis.
Tunc major calamis virtus, quos India gignit,
Quàm sceptris, arbor quæ dat acerna, fuit.
Christus arundineo postquam, sua culmina sceptro
Spinarum, mitras, asperitate notat.

Quæ lux dat fasces, eadem dat sumere fastum.

Rara coronarum sinè fastu gloria fulsit,
Primaq; plùs reliquis, ambitiosa dies.
Spargitur in vulgus nummi pretiosior imber,
Et pluit in tritas Cypria flora vias.
Quidquid habet cultûs, quidquid fert Regia gazæ;
Publica jactari per fora, gaudet honor.
Seu dives murex, seu gemmeus ardor equorum,
Seu veterum fuerint clara trophæa patrum.
Ducitur in lucem; magno stat Curia luxu
Vectigal Domino depositura suo.
Hic mos est alius; rubicunda corâllia, sanguis,
Argenti, candor lacteus implet opem.
Est tamen Attalico longè præstantior auro,
Quæ recreat totum grando cruenta solum.

Nam

Nam quidquid dederint, certò dant limite reges,
At pretium CHRISTI fine modoq; caret.
Vnde licet nummis, nec largo munere manat,
Sed quid nobiliùs regia nostra jacit.
Scilicet innocui pretium non vile cruoris,
Donat Idumæis Rex redimitus avis.
Huc polus, huc tellus lætis accurrite signis!
Et date regnanti publica vota DEO!
Aût potiùs tristes vobis avertite vultus,
Quæ patitur Nûmen spinea serta ferens.
En caput obnixis, auri pro munere rhamnis
Infando nisu, barbara tela premunt.
Pontificum curas, implet lictorius ensis;
Sæva coronando turba relicta DEO.
Aût ficta Regem Solymarum, voce salutant,
Aût fusò reddunt falsa tributa genu.
Hic cadit in faciem subjecti more coloni,
Audaci vultus involat ille manu.
Hic frangit digitos, hic vexat morsibus ungues,
Hic facili linguâ sordida sputa vomit.
Nec ratio est sexûs; perstringit fœmina verbis,
Et natas, præstent quâ feritate docet.
Hæc volucres plumas in Christi spargere pompam,
Hæc tepidos cineres gaudet iniqua nurus.

Impunes

Impunes pueri ludunt; nulloq; pudore.
Clara puellares differit aura jocos.
Ipsæ etiam, tremulos quæ firmant stipite gressûs,
Imbelli vetulæ bella minantur acu.
Fervent cêu plausus petulantis scommata turbæ,
Ridet, quæ jussa est, plebs coluisse DEVM.
Non est qui justo minimum trepidare timore,
Aût sanctâ duci qui pietate velit.
Non est emeritos CHRISTI qui laudet honores,
Proq; suis noscat Numina lassa malis.
Hæc né coronato solvuntur homagia Regi?
Sic coluit Dominos aula Quirina suos?
Captivis Latiam cervicibus intrat ad arcem;
Pube Palatinâ, digladiante Nero,
Ingremio populi, sedit Patrumq; lacertis
Augustus, quando Daunia sceptra tulit.
At nostro, pompam supplente opprobria Regi,
Solus honor, quem dant scommata multa, placet.
Dicuntur rigidæ perfracto vertice spinæ,
In molles cerebri transabiisse sinus;
Plùs tamen indulsit pœnis, plùs sævit in ægrum,
Pondus atrox, rabies sanguinolenta caput.
Non aliter, quàm si trajecto glande volucri,
Venator telis insuper instet apro.

Non

Non quod, non primo ſatis eſt jam vulnere victus,
Sed quia difficilis recreat arma cruor.
Vel cum. ſat denſis involvens caſſibus auceps,
Non minùs & dextris, & pede mactat aves.
Sic tibi, ſic IESV, gravis eſt Solymæa Tyrannis,
Crudeles plagas, plaga ſecuta recens.
Cinxerunt ſpinæ, concretos ſanguine crines,
Cæſaries ſparſa eſt virgine pexa manu.
Quæq; alias niveæ cervici ſervijt umbris,
Turbavêre ſacram veprea ſerta comam.
I modo! ſublimi luctare ſuperbia gyro!
Atq; tuos inter ſidera pone thronos.
Infla purpureas tumido molimine mentes,
Ac altum, vulgus ſurgere vile jube!
Iſacius lacero Princeps inglorius oſtro eſt,
Dura coronavit nobile ſpina caput.

ELEGIA XXXII.

Regiæ Legi, Plebiſcitum derogans, *Seu* Publicata in atrio Pilati innocentia CHRISTI, à plebe Solymæa condemnatur.

QVæ ſic jura ſonant? impunia crimina codex,
Quis jubet, & vitijs apta Novella ſuis?

Regia lex, æquum, jus plebiſcita nefandum,
Defendunt, quæ pars Iuſtiniane proba eſt?
Nil nocuit Chriſtus, convincunt acta Barabbam.
Cauſa tamen melior tota latronis erit?
Iudex abſolvit Regem, plebs damnat iniqua,
Terretur juſtum ſeditione forum.
Non ita Pandectæ, vel amans Pomponius æqui,
Non ita Romani regula juris habet.
Attamen illius ſpecies obtenditur Vrbis,
Cêu qui juſtitiæ éſt, non ſit amicus ei.
Cæſaris obtentu, ſecura ferocia peccat,
Quis ſcelus Auſoniâ, Cæſar in arce probet.
Nil magis obtrectat, quám tuta licentia legi,
Iudicium magno cum tenet illa metu.
Quid ſi juſta Themis ſileat cùm detonat ira,
Conſpiraturis pernicioſa reis.

Judice ſub timido diſcũt audere ſcelesti.

Securum vulgus formidine judicis audet,
Præcipuè quoties vis populoſa fuit.
Eſt locus in media cultu ſpectabilis Vrbe,
Sufficiens Solymâ conveniente forum.
Sideribus pudor eſt ipſis à lumine vinci,
Quo picturatæ promicuêre domus.
Sic radiant auro, rutilis ſic mænia flammis,
Offundunt, aſtris dixeris eſſe pares.

Aſſy-

Assyriæ forsan, laterem misêre fodinæ,
Quem scito solers coxerat igne faber.
Arte bonâ Tyrium præsefert terra ruborem,
Quid non ingenium, vel manus apta potest.
More Semiramidis, compingit saxa bitumen,
Et format celsos aurea trulla Lares.
Desuper Isiaci fulgent Indiq; colores,
Calx nisi, quod superest liminis, alba tenet.
Eminet, hic aliјs præstantior ædibus una,
Prætor ubi populo dicere jura solet.
Hanc Actor certans, hanc pars accita frequentat,
Litigiјs quoties est sua scripta dies.
Hic Regum leges, hic plebiscita feruntur,
Iura Palæstino discutienda foro.
Hic strepit innumeris censoria Curia palmis,
Plectit oberratos debita pœna reos.
Ergo coronatum vocat hæc in pegmata Regem,
Nosseq; quid causæ est, Pontius inde volet.
Tunc præses juri, Themis est tibi credita Ponti?
Qui nescis quali regia gaudet ope!
Supremos nemo poterit disquirere fasces,
Judicio poterit nemo gravare suo.
Rariùs id regimen, quo libera regna fruuntur,
Inferior Dominum damnet ut aula suum.

Non est res populi, leges dare vel le Dynastis.

Hujus erat Sion prorsùs discriminis expers,
Majestas semper cûi nisi summa fuit.
Non tantum Semei privato scommate læsit,
Ex Majestatis crimine victus erat.
His tu posthabitis, in jus Iessæa vocare
Audes, ante tuas sceptra Pilate fores?
Sed reperit justum, nec plùs vult dicere judex,
Quàm quod in innocuo sanguine crimen abest.
Vnde jubet totam Prætoria limina plebem,
Quærere, dicturus quid sibi mentis erat.
Confluit absq; mora, populus Prætore vocante,
Neglectim clausos deseruêre Lares.
Non ita si flammis urbs circumfusa fuisset,
Subsidio præceps, densaq; turba foret.
Non ita si victor, captis in mænibus hostis,
Raptorem possint ut laniare suum.
Quàm ruit, & Stygijs exarserat ignibus omnis,
Ad contemplandum turba vocata DEVM.
Mista viris conjunx volat, innuptæq; puellæ,
Ac gelidi, curvâ mole tremente senes.
Antevenit pubes gressu felicior, & quam
Non dum spectati sanguinis urget amor.
Pignoribus tardæ matres, viduiq; pudores,
Quantum terra patet, compita vasta replent.

Non

Non ætas, non ulla domûs incommoda frænant,
Curritur; arma dari vulgus inerme petit?
Quæ verò pictis effulget Curia pinnis,
Et præstant altos marmora strata gradus;
Circumstat miles, potiori nomine lictor,
Prætoris vacuum qui tegit ense latus.
Hic Rex Isacius stipantibus affluit armis,
Causa trucidandi nulla reperta foro est.
Criminis immunem Iudex pronuntiat ipse,
Sermonisq; probat simplicitate pium.
Sed plebs dura fremit, de vivis tollere Regem,
Contra jus Regni, fasq;, piumq; placet,
Quid facies? justo maculabêre sanguine Ponti?
An quod de lege est, justitiâq; jubes?
O mihi quàm miseræ timido sub judice leges!
Quam cito quæ reprobet Juppiter, ille probat.
Imò suis etiam mens est contraria jussis,
Quod fieri nollet, vi superante facit.
Non tamen excusat metus, in re sanguinis ullus,
Sancia diminui culpa timore nequit.
Vnde licet sævo populi perterritus æstu,
Criminis ipse tamen Pontius Author erat.
Nam qui constituit, quod aperto derogat æquo;
Hic causam judex reddidit ipse suam.

Si Judex paveat, vilēt san ctissima Jura.

Se condemnavit, qui quod decrevit iniqvùm est.

Plebs ita decrevit? sed regia jura vetabant,
Innocuum cœli vindicat ira caput.

Quæ sine respectu fertur sententia, justa est

Non hominum placitis, sed legum jussa tenore,
Sanciri quævis, imperat æqua Themis.
Arbitrium sequitur sententia Pontia plebis?
Iudicis officium debuit illa sequi.
Res tua tota nocens, quid mundas æquore Ponti
Sanguine quæ justo jam maduére manus?
Hæc tibi non prosunt, quo te minùs astra flagellent,
Quæsito facinus turpe colore tegis.
Ad rigidas per te, probitas damnata secures,
Prætoris crimen, non populare fuit.

Judicis est munus, justam defendere causam.

Sit, quod plebs voluit; justam defendere causam,
Officium recti Judicis esse solet.
Debueras oculos cæco tribuisse furori,
Non bene respectus jura, forumvé regit.
Audiet Iliacus, te decrevisse Senatus!
Esse reum Numen, labe carere scelus.

ELE-

ELEGIA XXXIII.
Bellatrices Aquilæ ad Prælium,
Seu
Crucis Labarum humeris CHRISTI impositum.

RIngitur Hæmonio Mavors in vertice, bellis,
Pacificasq; manu Bisthone, turbat opes.
Stant bellatrices Aquilæ, tuba prælia clangit,
Eximijs multum fervet arena viris.
Quis movet arma furor? quæ fax nova classica Martis
Accendit, bellax verberat astra nitor.
Sensit in Odrysijs Numen gentile cavernis,
Isacio sudent quanta trophæa Duci.
Quàm felix labarum, sacris attollitur armis,
Ipse DEVS, claræ quem levat hasta Crucis;
Et mox Threÿcios Mars aspernatus honores,
In Golgoth, belli transtulit omne decus.
Non ut Sionijs intentet prælia sceptris,
Sed juvet, ut signis, Iessea signa suis.
Stamus? & insigni jam præfert ipse lacerto,
Palmarem Christus, Marte sequente Crucem;

Crux

Crux olim turpes nisi castigare reatus
Svevit pœnarum, supplicijq; genus.
Quod tristes alibi cripta, taurusq; Perillo,
Quod Gabijs quondam sæva metalla reis?
Quod stabulum Thraci, Pæno rota ferrea vulgo,
Hoc fuerant Syriæ, pessima fata cruces.
Versa rei species, infamis munera ligni,
Supplicio Domini sunt decorata sui.
Nam postquam sancto maduit crux uncta cruore,
Omnis quæ poterat carpere, pulsa nota est.
In laurus viruit, tristi nisi nata cupresso;
Morteq; mortiferam depopulata stygem.
Hanc modo victrices cuneis bellantibus alæ.
Hanc signis primam regna præire volunt.
Hâc meliùs frontem miles, quam casside munit,
Hæc potior Veneto cingere membra sago.
Illi perpetuis radiant altaria gemmis,
Et Sypilus vestit limina magna lapis.
Illi laurigeris frondet victoria sertis,
Et supplex flectit gloria quæq; genu.

Res à Persona pretium trahit atq; valorem.

Res etiam vilis, magno bona redditur usu;
Et factis pretium præstat agentis honor.
Purpura vellus iners humili tondetur ovili,
Officio crescit nobilitata suo.

Aurum

Aurum gleba rudis, quod inania possidet antra,
Imperiale facit clarius esse caput.
Sic licet abjectis, author dat pondera rebus,
Materiâ pretium non adeunte suum.
Sic mala quantùmvis ipsos crux ferre nocentes,
Sueverat, appenso jam proba facta DEO.
Ecce feræ postquam concessa licentia plebi,
Ingentem scapulis imposuêre trabem.
Non sat erat virgis, non sat laniasse vepretis,
Imminui sævis cædibus ira nequit.
Itur in effusos petulante Sionide campos,
Nulla fuit vulgo non viduata Domus.
Non ita disjectis fugiunt vaga flumina ripis
Aût auctæ clivis præcipitantur aquæ.
Non ita forsan apes examina stridula cogunt,
Cùm luteas profugæ deseruêre casas.
Æstivo quoties pecus ingens læditur æstro
Non ita præcipiti concutit arva pede.
Vt ruit é vacua portis retinentibus urbe,
Insequiturq́, pium plebs malesana reum.
Pulveris ascendunt obscuro sidere nubes,
Hoc clypeo tuta est, tecta nefanda Sion.
Vtitur his, Cælum né criminis arguat umbris,
Ignorare volet, quid facit illa polos.

Scire quis illius miseros desideret actus,
Indemnes plagas verbera dura viæ.
Plus est quàm fieri credat, quàm dicere fas sit,
Nostraq; verba puto, non habitura fidem.
Sed cunctis gravior fuit ille doloribus unus,
Obvia cùm genitrix, ultima verba daret.
Illa DEI solium, Iessææ gemma coronæ,
Illa stetit coram, Virgo, Parensq; simul!
Illa salus hominum, submisso sanguine Mater!
Non poterat lachrymâ præpediente queri.
Illa decus terræ, Libani cedrus edita clivi,
Flos Hierichonius, Palma beata Cades.
Illa genus David, veteris stirps regia Iacob,
Isacis, opposuit pectora mæsta nurus!
Illa suo mærens oculos impressit amori,
Verbaq; cum gemitu, non nisi fracta dedit.
Vox querulosa sonat, sed vix intelligit ille,
Qui poterat lachrymis proximus esse suis.
Crediderim tali dilectas Numinis aures,
Afflictam Matrem detinuisse preces.
Tuné reus Fili pœnas damnaris ad istas!
Qui solvis pœnâ, supplicioq; reos.
Te Crux dura premit, quem regia sceptra manebant,
Non hoc promisit Nuntius ille mihi!

Non

Non potes è nostris avelli Filius ulnis
Non potes, incolumi me genitrice mori.
Aût vives mecum simul, aût simul ambo perimus,
Pars ego cladis ero, commoriarque tibi.
Te sequar in medias acies, mediosque per enses,
Augebo nostro funere funus atrox.
An mea crudelis lictor, mihi fata negabit?
Nullaque speratæ mortis aperta via est?
Ibo per hostiles cuneos, licet ire parenti,
Affigarque tuæ sarcina justa cruci.
Te furor Hæbræus, sed amor me dulcis alumni,
Flebile supplicij munus obire jubet.
Tu nihil egisti pœnis, & morte luendum,
Et tamen infami conficiêre trabe.
Me quoque nil memini, Solymis patrasse nefandi,
Hâc mihi cur vetitum, conditione mori?
Nempe Palæstini tenor hic est juris honestus,
Vt quidcunque probum est, fata crucesque ferat.
Plura loqui voluit, vox est exhausta dolore,
Et mens deliquij nocte sepulta sui.
Vix animum revocant, & aquis & fletibus altis,
Sioniæ Matrem, quæ tenuêre nurus.
Tali chara metu servantur pignora regnis,
Tanto quæ sola est, proles amore stetit.

Hæredũ meritis ſtantq; cadátq; Domûs.

Quippe ſpei magnæ, quo plùs inclaruit Hæres,
Hoc ſolet amiſſi grandior eſſe dolor,
Nam prout ingenti ſcimus creviſſe triumpho,
Pignoribus claris, progenieq; probâ;
Sic ubi mortalis ceſſerunt munera vitæ,
Regificas rursùs procubuiſſe Domos.
Interea ſævi fremit inclementia vulgi,
Vix aliquot Chriſto, verba referre datum eſt,
Nam velut in furias Bacchæis lyncibus acta
Continuant cæptas agmina læta vias.
Nil tua profecit pietas Veronica ſupplex,
Cum Domini ſiccas ora cruenta tui.
Nil movet expreſſus producta in Sindone vultus,
Quem colit æternis cenſibus aula triplex.
O! utinam veſtris pejùs quid matribus olim
Accidat, & gravior vos premat ira Iovis!
Aût ſub Romanas adigantur colla ſecures,
Pignora Tarpeijs diripiantur equis;
Aût vos exilium Geticas diſpergat in Vrbes,
Ercptâ, procul hinc, erret Hebræus humo.
Tunc nec in extremos liceat cecidiſſe dolores,
Nec ſic fas proli dicere, triſte vale.

ELE-

ELEGIA XXXIV.

Solium Regis Judæorũ in Capitolio. *Seu* CHRISTUS in Capitali Monte, Cruci affixus.

NUlla ſuis adeò res eſt incongrua cunis,
Non aliquo ut mundi poſſit honore frui.
Nec puto, ſic humilis toto reperitur in orbe,
Non ſit ferre capax ut meliora locus!
Quâ nemus incultum ſteterat, nitet aurea Delphus,
Et Venetas arces præſtat aquoſa palus.
Nil ita vel ſpecies, vel ſors miſerabile ſiſtit,
Ut nullo lætam munere ſperet opem.
Pactoli ſteriles obryzum veſtit arenas,
Quod fluit è loti fronte, geniſq; Midæ.
Noricus, & quicunq; chalybs, ignobile plumbum,
Alchimico fiunt cara metalla foro.
Nil adeò deſpectus habet, ſine dotibus uſus,
Ut nullâ pretium nobile parte ferat.
Ecce ſitu, pæniſq; horrens, crucibuſq; reorum,
Sordidus humano ſanguine, collis erat.

Nil ita vile puto, quod nón excellere poſſit.

Quo tamen obtinuit, famam defenderet astro,
Visa malas, melior Crux abolere cruces.
Namq; ibi Iessæus primordia prospera regni,
Et solium Princeps imperiale tulit.
In ligno regnat; nam quid communius auro,
Gemmaq; vulgari displicet aucta nive.

A novitate valor rebꝰ inesse solet.

Imminuit, quas fert popularis copia dotes,
Et Phænix pretium, non nisi rara parit,
Vanaq; sunt hominum, quæ dives Mulciber ornat,
Sed reprobat justus culmina celsa polus.

Pulchriùs exornat pietas, quã gemma coronas.

Plùs pietas solijs, quam vel radiosa supellex,
Vel Phrygius confert, Sidoniusq; labor.
Dic mihi si virtus, quæ major, & aptior ostro est,
Quis potior summo sceptra tulisse DEO?
Vnde prout nullus, nostro mortalis honori,
Sic nec apex, par est, quo stetit ille loco!
Inferiore nitent Capitolia celsa triumpho,
Et quævis illo gloria colle minor.
Nil obstant furcæ, nil tot pænalia fata,
Asperitas Domino cessit iniqua loci.
Hæc ego, deberi censebam munera Regi,
Isacidæ, sævo mugijt atra sono.
Respexi, nisi vulgus erat, quod bajula Christi,
Membra premens, rauco murmure, compsit iter.

Iamq;

Iamq; per obnixas culmen ſuperabat arenas,
Iam DEVS in ſummo vertice montis erat.
Oſſibus horrebat ſparſis, crucibusq;, rotisq;
Supplicio capitis, mons datus ille rei.
Golgotha, ſic ajunt, patrio ſermone vocatus,
Funeribus multis Golgotha triſtis erat.
Nunc mons eſt Calvus, quod habet vel crania nuda,
Vel quod in extremis albet arena jugis.
Viſus erat toto decreſcere culmine poſtquam,
Contigit Auguſto Rex ſua terga pede.
Saxaq; dura genis Domini, liquefacta venuſtis,
Vt poſita ad calidos cera, fuêre rogos.
Ipſa loci facies regum mutatur honore,
Sentit & obtuſum Numina magna ſolum.
Præſenti Macedæ, liquidis ſudoribus undant,
Sint licet exanimis, frigida ſaxa Jovis.
Durius ingenium terræ, domat ardua virtus.
Subjugat imperio culmina quæq; ſuo.
Punicus Ænotrias emollijt Annibal Alpes,
Virtuti ceſſit militis, ipſe ſilex.
Imò rudi quædam creſcunt ſolatia glebæ,
Quam premit eximio regia planta gradu.
Acriſionides quâ fert veſtigia magnus,
Pæſtanus ſterilem flos inamicit humum.

Immitat merũ faciem præſentia Regum.

Quo

Quo ſuperûm ſtudio contendit Olympifer Atlas?
Nobile ut aſtrorum cum Jove ferret onus.
Non aliter celſas in planum ducere rupes,
Atq; ſtudet Golgoth procubuiſſe DEO.
Cautibus & rigidis, immitior ardet Idume,
Et queritur lentum non ſatis ire ſcelus!
Mirantur gemitu ſciſſi, terroreq; Montes,
Vincere duritiem pectora ſæva ſuam.
Quâq; pedem fixit, congeſto corpore lictor,
Viſa ſibi longè plùs riguiſſe, via eſt,
Scilicet ingenium populi fera ſaxa ſequuntur,
Deucalionæum noveris eſſe genus.
Saxea progenies Pyrrhæ, molleſcere neſcit?
Ad formamq; trahit corpora quæq; ſuam.
Itur in abruptos colles? nil aſpera tardant,
Nil procul effuſos, invia ſaxa, globos.
Iſacides CHRISTVS, quo non velocior alter,
Ad culmen, grandi ſub trabe primus erat.

Grande licet põdus modicũ reputatur amanti.

Non ſentitur onus, quod amor pietasq; miniſtrat,
Et levis eſt omnis pro regione labor.
Dos eſt magna Ducis primo ſudore calere,
Primum difficiles exuperare vias.

Ultimus ad pompu fit Dux, ad claſſica primus.

Is bene conflixit, qui bellica ſigna præire.
Ad pompam Princeps, ultimus eſſe ſolet.

Fecit

Fecit id, & longâ post se paritate relinquens,
Anteijt fessos, integer ipse viros;
Quoq; magis Christus populoq;, locoq; tenetur,
Hoc sibi crux ingens, sarcina visa levis.
Lassa cadunt, celeres nec adæquant agmina passus,
Illo, par nemo est, approperante sequi,
Dat stimulos avidis in tanta pericula curis,
Nostra erebi spolijs excutienda salus.

Rex bonus extremas adigit cum sanguine vires,
Nè sit in hostili, plebs sibi fida jugo.
Nam quis tuta gravi compinget lumina somno,
Cùm miser in dura compede civis eget.

Provideat Princeps, ne stringāt vincula Cives.

Ergo ubi summus apex, montis detectus iniqui,
Pressus & emenso vertice pulvis erat;
Area carnificis patuit manifesta theatri,
Quam cinxit vastâ plebs Solymæa rotâ.
Cernere jam videor mihi, totam stare Sionem!
Nec recipi vulgus deficiente jugo.
Prima fuit, Christus crudelis scena tragædi,
Altera, proclives in sua fata manus.
Ille suam certus letho submittere vitam,
Hæ diram pœnis exsatiare famem.
Cedite lictores; oculis jugulabitur ipsis;
Vrbe perire potest aspiciente DEVS.

Sic ardent iræ, ſic lumina torva minantur,
Vt vim carnificum quælibet ora ferant.
Cùmq; ferox omnis populus, tamen acriùs inſtat,
Quæ plùs à Domino Sion amata fuit.
Curia tota ſtetit, ſtetit hirtâ fronte Sacerdos,
Intendens animos ad ſcelus omne ſuos.
Tunc vi, quâ potuit, pejor truce tygride lictor,
Alliſit ſtratæ ſaucia membra Cruci.
Hi plantas fodiunt, hi Chriſti brachia torquent,
Clavus & expanſas rumpit utrinq; manus.
O! quoties errans crudeli malleus ictu,
Mollia pro clavis, læſerat oſſa DEI.
O! quoties, genibus preſſos traxêre lacertos
Carnifices, brevior cùm vetat ire cutis.
Anteo non ſic gravis eſt Tyrinthius heros,
Cùi fuerat tellus auxiliata Parens.
Ille quidem gemino Divûm certamine fractus,
Alcides contra nequiit eſſe duos;
Iſacides noſter contra tot millia Iudæ,
Vnus ſe ſolo pulchra trophæa tulit.

Pulchrior eſt laurus ſine multa cæde parata.

Non ſemper magno concurrere milite fas eſt,
Cum parvo melior ſanguine palma viret.
Eſt Regum pietas, civili parcere vitæ,
Cùm propriâ poſſunt, ſiſtere bella nece.

Hos ubi nil moto cruciatus ſuſtinet ore,
Majori torret perfida corda face.
Nam vinci timuit patienti mente tyrannis.
Vtq; ſolet ſpretus noxior eſſe furor.
Sic magis exarſit contemptu, plebs fera vitæ,
Pluraq; quam dederat, ſcommata dira dedit.
Erigitur fixis crux artubus, æthere triſti,
Quidq; ferat, ſummo jactat onuſta bono.
Sed nocuit jactaſſe DEVM, furit improbâ Dirce,
Ingenio rabiem non capiente ſuam.
Nil juvit fugiſſe ſolum, luctatur in auras,
Effractumq; nocens perforat haſta latus.
Me miſerum! medios quos non ego pellor in hoſtes,
Vlturus Domini funera magna mei.
Quod licet ignivomum maleſanis imprecor orcum,
Imprecor æternos hoſtibus inde rogos.
Ah meus, hic meus, eſt quo Styx exæſtuat ignis,
Quàm voveo noſtrum vis petet iſta caput.
Ille ego, qui ſævâ cor CHRISTI cuſpide læſi,
Crudeli ſcrutor viſcera ſancta manu.
Ille ego, qui toties coëuntia vulnera rumpo,
Quot noxis temero, criminibusq; DEVM.
Fulmina quot vobis, quot ſunt fera tela Tonanti,
Ocyùs in noſtrum præcipitate malum.

Si quam, vaſta tenent pallentis concava Lunæ,
Obruat infelix deflua flamma caput.
Si quos iratus ſervat ſibi Iuppiter ignes,
Exaniment triſti pectora noſtra metu.

ELEGIA XXXV.
Ultima voluntas Teſtatoris Regis Judæorum.
Seu
Agonia CHRISTI.

QVam legis, Iſacij Regis ſuprema voluntas,
Sanguinis hæredem, te ſuperûmq; facit.
Nec quod es, ut ſervum te libertatis honore,
Ex teſtamenti conditione beat.
Sed cêu congenitum memorando pignore fratrem,
Vult ex aſſe ſuis inſtituiſſe bonis.
Mobile fluxarum, pariterq; immobile, rerum
Ius æternarum cedit in aſtra tibi.
Quas oculus tangit, quas auris credula format,
In tua congeſtas commoda, legat opes.
Quæq; non auderes petijſſe palatia cœli,
Ille tibi plùs, ſint quam tua vota, dedit.

Ius

Ius ad rem, quocunq; hominum persona tenetur,
Quod si jus in rem nascitur, omne tuum est.
Majori reges aliquando, pignora præter,
Instituunt Cives utilitate suos.
Seu quod difficilis prolem natura negavit,
Seu quod ab imperio degener illa fuit.
Non malè Trajanum sceptris Augustus adoptat,
Felix hic Nato, nobilis ille Patre.
Nempe quod in solium quidã cum sanguine manẽt,
Hoc utero debent, illecebrisq; patrum;
At quos sors humilis regni subvexit in augem,
Propria dona duces non aliena ferunt.
Fusiùs hic tenero licet indulgere dolori,
Cùm noster, morti proximus, alget amor.
Attica tunc Danais ululavit noctua lucis,
Ac Hecate dederat tristia signa triplex.
Martius hinc bubo, niger hinc, quid flebile corvus,
Fatidicæq; queri colligebantur aves.
Hostia, si cæsa est, tepidis stetit horror in extis,
Nulla fuit Latio victima grata Iovi.
Vel DEVS occumbit, vel vi natura gravatur;
Territus admonuit, Graja Lycæa, Sophus.
Sic est: præsago non falleris omine Vates,
Sed quæ distinguis, consociata scies.

Pignoribus Cives præhabent, quandoq; Dynastæ.

S. Dionisius Areopagita.

Sic eſt vi ſceleris, quod mundus deflet, eodem
Eſt natura parens, eſt in agone DEVS.
Heu! quas Sionij pœnas meruiſtis alumni!
Cæde calens, quantis terra pianda rogis!
Barbarus hybernâ, vos occupet hoſtis ab Arcto!
Vos gelidi Thraces, vos fera Bactra premant!
Diripiat Phœnix, quidquid ſibi ſervat Idumæ!
Mercibus Hebræis Afer onuſtus eat!
Vos DEVS! aſt alias miti de pectore voces,
Ille piâ moriens fundit in aſtra prece.
O! Pater immenſæ laudis, dimitte quod actum eſt,
Neſcit enim, neſcit quid Sion ipſa facit.
Fregiſſet Lybicos ea manſuetudo leones,
Afras molliſſet lingua benigna tygres.
Nil movet infeſtos ſcelerati pectoris hoſtes,
Inſultant auſa deteriore magis.

Offenſam donare ſuam, mẽs Principe digna.

Regia mens, lapſis ignoſcere poſſe colonis;
Quamvis plùs peccent, quàm ſua vita valet.
Iſaidam magnum, vix hinc laudare licebit,
Quod teſtans, Semei juſſerit eſſe reum.
In ſua jurantes nocitura pericula Cives,
Faſcibus Auguſtus, muneribusq; beat.
Si quoties errant homines, ardeſceret æther,
Nullus ab immemori tempore ſtaret homo.

At

At meus exhausto pallescit sanguine Princeps,
Arida contraxit siccior ora sitis.
Huc precor, ô Ierichon, maturi palmitis uvas,
Affer, & expresso funera pelle mero.
Vosq; poli faciles, suavi stillate procellâ,
Recreet os Domini dulcibus imber aquis.
Melle fluant rupes, sudent cava nectare saxa,
Samsonij recreent torrida labra favi.
Siccine, qui calidas potaverat inter arenas
Israel, ipse freti destituetur ope?
O pudor! accensam Domini, trux lictor amaro,
Audet, pro mustis, felle domare sitim!
Exiguas acri lymphas confundit aceto;
An dare, quid meliùs posset iniqua manus?
Hæc Dominus mundi languens amuleta bibebat,
Hoc tulit antidotum, certa medela mihi.
Phyllirias alij quærant in pharmaca curas,
Thessalicâ reges se tueantur ope;
Quidquid in ignito fervet lebete Galeni,
Quod Machaoniæ proficit arte manûs;
Congerat, & toto defendat regia censu
Infirmas mentes, nulla fit inde salus,
Fel CHRISTI meliùs lethalis semina morbi,
Vulgus opis medicæ, fel recreabit, egens.

Fel Christi cunctos Regum dulcorat acores.

Et

Et quamvis acidi mala fermentatio ſucci,
Cauſas interitûs progenerare ſolet;
Hic tamen Iſacij conditus Principis ore,
Omne genus morbi depopulatur acor.
Obſtupuêre ſacri cum linguâ corporis artus,
Mens, ſcelus ad populi, vix ſibi compos erat.
Cùm videt eſſe tenax iræ, factisq; malignum,
Nec vinci vulgus, poſſe dolore ſuo.
Tunc queritur Pater, o Pater optime, ſicné relictus,
Sic ego poſthabitus dicar in orbe tibi.
Flere DEVM cæpere poli; madet uvida Plejas,
Mæſtaq; nimbigenis nubibus ora tegit.
Flevit châra parens infami proxima ligno,
Ad quam ſic triſti pectore Numen ait.
Nos morimur, mea Mater erit, tua cura Joannes,
Et tua Mater abhinc cura Joannes erit.
At nos turba minor, quali ſervabimur aſtro?
Quæ pia ſuccumbens proteget aula caput?
An tibi ſic viles animæ, faciles q; relinqui,
Vivemus? pretio quos tibi mortis emis?
Quis noſtram poterit ſatis obfirmare ſalutem,
Si nos auxilio vis caruiſſe tuo?
Non metuo; noſtras ſpes, in latrone coronas,
Participem regni quem facis eſſe tui.

En

En hodie me, teq; simul paradisus habebit,
Dixisti IESV, verba secuta fides.
Hoc duce, jam nobis superûm reserabitur aula,
Latro cælestes primus adeptus opes.
Occidit inter eos pugil exantlatus agones,
Semiâmini Divûm voce rogando Patrem,
O Pater! æternas meus intret spiritus arces,
Inq; tuo liceat me recubare sinu.
Vltima vox monuit, jam consummata fuisse
Omnia, quæ vates concinuêre sacri.
Tunc moriens Christi, caput inter brachia fluxit,
Mens luteos fugit dissociata lares.
Atraq; nox umbris texit lugubribus orbem,
Expavêre vagi funera, solis equi.
Iam Mater Cybele, jam tellus mota pavore est,
An satiùs centro pellitur ipse suo.
Scinduntur rupes, vel si quid duriùs illis;
Ipse ferus nullâ lege movetur homo.

ELEGIA XXXVI.

Monumentum Regium,
Seu
Sepultura CHRISTI.

UT *licuit, non ut meruit Iessæa potestas,*
Conditur in vili corpus herile specu.

Missa simul fuerat cum Christo, triste sub antrum,
Quæ nos æthereâ spes animabat ope.
Et quoniam clausas Superorum debuit arces
Solvere, qui cecidit, pars bona mota Patrum est.
In Domini luctum, rarus festinat amicus,
Officioq; carent funera sancta suo.
Creditur exangui cùm corpore, gloria CHRISTI,
Non compassuris, tota sepulta polis.
O! si, tunc astris genitus felicibus essem!
Et mea par, lachrymis ora rigare dolor!
Quo nunc amne cadunt querulæ de collibus undæ,
Fluxissent oculis flumina salsa meis.
Non ego si centum mihi lumina cederet Argus,
Deflerem Manes sufficienter eos;
Non ego, si tumido me sorbeat, æquore pontus,
Oceani magnis exsatiarer aquis.
Felices Nymphæ, quibus in nova flumina solvi,
Humanâ specie deficiente, licet.
Quæ venis, oculisq; suum laxantur in æquor,
Et præter nomen, nil nisi pontus habent.
Nysæas in me superi, convertite Scyllas,
Offundar liquidi, sic ego, mole satis.
Tantalidis mæstos mihi Niobes reddite vultus,
Æquabo lachrymis humida saxa meis.
In

In luctus Helle, tumulat quam Nereus ingens,
In luctus vastæ Balthidos unda fluat.
Musarum tenuis modicos fons servit in usus,
Vix Aganippææ sufficeretis aquæ.
Quid mihi cum vario peregrini nominis amne?
Si nostras madidat lachryma nulla genas?
Aridiùs duro si pectus marmore torpet;
Raraq; flens noxam gutta per ora cadit.
Non mea Cecropios imitantur lumina fontes,
Non faciem mærens inficit unda meam.
Cùm subeunt tot probra DEI, tot vulnera facta!
Exequijs Domini quantus habetur honor!
Immensos oculus deberet fundere nimbos,
Cûi tamen & minimo rore madere, grave est.
Quæq; novis Christum castigant, crimina plagis,
Augentur studio sollicitante stygis.
Sed jam funereos habitus, & vile sepulchrum,
Quiq; carent pompâ, fas adijsse specus.
Hic genitrix dulces complectens sancta lacertos,
Sola ministerium triste relicta dedit.
De tot nominibus caris, populiq;, domûsq;,
Vna venit lachrymis, solvere justa suis.
Inq; sinu proprio, quis talia funera vidit?
Sarcophagum posito præstitit illa DEO.

Tardiùs affuerant aliæ, quas moverat Echo,
Echo Palæstinis exspatiata jugis.
Nec, prout expediens sacris regalibus esset,
Cultæ, sed lacerâ veste, genisq; nurus.
Sic tristes miseris implent balatibus agros,
Lanigeri, perijt dux sibi quando,greges.
Sic pecudes pavidæ querulis mugitibus errant,
Ductorem sævi cùm tenuêre lupi.
Quis gemitus illos, quis tot suspiria dicat?
Quis lachrymas? quibus in tot tepuêre genæ.
Non sic Attalici sumptus, phaleræq;, tubæq;,
Quàm pia commẽdat lachryma, quemq; thronũ,
Artificum dextris regalia busta parari,
At non vel regnis, præfica gutta potest.
Solus amor populi, pupillis luctibus undat,
Qui caret affectu rex, lachrymisq; caret.
Nam cûi sincero plebs fletu mæsta parentat,
Optabat Dominum consenuisse suum.
Auferriq; dolet, quem cedere serò volebat,
Nunquam mansuetis exsatianda bonis.
Crudeles referunt, lachrymæ vice, probra Tyranni,
Siccis aspicitur vultibus aula ferox.
Non sic Isacij celebrantur funera Regis;
Quem, studet ad tumulum lachryma multa sequi.

Prĩceps quẽ deflent populi, bonus esse probatur

Sed nisi simplicibus tædis, habituq; modesto,
Nullas accendit pompa superba faces.
Mausolus eximij flammis ferit astra sepulchri,
Multorum Parius condidit ossa lapis.
Hos in Erythræi spolijs locat aula profundi,
Illos claudit opum gemmea tumba satur.
Multis insignes Memphis radiosa Colossos,
Multis Sarcophagum clara ministrat onyx,
Nil meus hinc Princeps, in busti munera sumit,
Obsequium præstat, quæ caret arte specus.
Sic tegitur Dominus terræq;, marisq;, poliq; !
Depositum cœli barbara petra tenet.
In cava defertur, sine charis Civibus antra,
Qui populo vitam consecrat ipse suam.
Quid juvat Iliacos tumulis excindere montes,
Et vastas umbris ædificare domos?
Regibus exstructos inhonestat aranea fastus;
Undeq; gemma virens, pendet Arachna simul.
Censibus innumeris empti, minuente senectâ,
Spelæis tumuli stant, stabulisq; pares.
Non equidem damno,quævis proba funeraRegum,
Donetur sacris manibus aptus honor.
Exigit id pietas populi, meritumq; coronæ,
Ut ferat æternum Regia fama situm.

Quicq; fuit comis regno, fuit arduus hosti,
Vivat ut in veteri marmore pænè decet.
At nihil invidiam pariens, nihil astra lacessens,
Præseferant cultu justa sepulchra suo.
Ecce rudi saxo vix unâ sindone tectus,
Clauditur, & Regem novimus esse DEVM!
Vos jam Pierides tristi subscribite cippo;
Rex jacet hic Regum, quo mea vita stetit.

Esse Mõnarcharum bustamodestia decet.

ELEGIA XXXVII.

Victor palmam auspicatus à letho, *Seu* Resurrectio à mortuis Regis Judæorum JESU CHRISTI.

CRescit finitimis virtus animosa ruinis,
Major & ex ipso vulnere palma viret.
Quo plùs magnanimos certamina bellica Reges,
Exercent, fit eo clarior aula magis.
Et quamvis cladem tulerint, gradus illa trophæi est,
Nullius lachrymas compatientis amant.
Nam cur barbarici quem non domuêre furores,
Luctibus audiret succubuisse suis.

Sæpe juvat Reges, à letho quærere palmam.

Undè ferè cûivis gravis eſt injuria ſceptro,
Cum memores flentur, quæ nocuêre neces.
Fortia ſunt forti toleranda pericula mente,
Nullâ vult Mavors, conditione queri;
Sed vel ab alternis quærit ſolatia palmis,
Vel prorsùs ſimulat ſe mala nulla pati.
Et tu Muſa ſile; pudor eſt gemuiſſe, quod extra
Interitum quamvis in cruce Numen erat.
Quodſi plura canas, aliâ tibi lege canendus,
Et cytharâ victor conveniente DEVS.
Inſolitos meruit ſuperatâ morte triumphos;
Qui non cummuni ſubjugat arma viâ.
Magna volunt tanti laudum molimina faſces,
Eſt tua cœleſti Numine ſuada minor.
Ille quis id capiat? quem ſuſtulit improba Sion,
Integer ex plagis, vulneribusq́, ſtetit!
Ille, cûi totus feralia dixerat Orbis,
Pulchrior Eliſiâ de regione venit!
Surgit ab excuſſo funebris marmore rupis,
Victrices taxo nil temerante comas.
Ipſa latus munit, bellax, quaſi ſquamma cicatrix,
Atq́, novas acies, altera bella vocat.
Sanguine purpurei dant laticlavia clavi,
Sunt lævis galeæ, ſpinea ſerta loco.

Crux

Crux nova signa parat; deserviet alea belli,
Quæ super & Christi, nobile jacta sagum.
Iam nunc Iuda veni! justo concurre duello,
Ad tumulum melior Martis arena patet.
Scilicet ex letho fortis, post fata superstes,
Rex DEVS in palmam, pallida spectra trahit.
Punica Romano deterritta milite virtus,
Quàm moriente ferit, fœmineciq; manu.
Ac alius quidam demisso vertice Civis,
Artubus immotis post sua fata stetit.
Grandis uterq; stupor, tamen aucto frigore lethi,
Incubuit telis victus uterq; suis.
Noster ab occubitu Princeps robustior ortus,
Ipsa per æternam funera cæpit opem.
Tristibus inseruit laurus, oleasq; cupressis,
Currus eburnus, erant nigra sepulchra sibi.
Capta simul mors est his, quæ prior intulit armis,
Et dedit invicto terga ligata Duci.
Eumenides etiam, prout hæc est stamine præstans,
Hæc bona forficibus, tertia gnara coli.
Senserunt Dominum, missis in vincula dextris,
Quæ de staminibus composuêre suis.
Horrescit pedicas nigri regnator Averni,
Bellaq; dejectâ fronte minatur adhuc.

Et

Et quoties motæ ſonitum fecere catenæ
Non aliter, quam ſi nitria flamma furit.
Aût quoties oleum fervens perfunditur undâ,
Taliter iratus bullit, & ardet adeps.
Illum diſperſis captiva Proſerpina ſignis,
Et centum domitæ bella ſecuta ſtygiæ.
Illum Tenario cuſtos de limine raptus,
Allatrans triplici ſidera fauce præit.
Æacus, & quicunq; forum ſtygiale regebat,
In ſpolium magno contribuêre Duci.
Non poterit dici Majeſtas illa ſevera,
Quæ nimium duris hoſtibus, acris erit.
Non quod in abjectos fas ſit ſævire colonos,
Sed trux ingenium, quod ſuus hoſtis habet.
Ira Ducum parvo caleat contenta cruore,
Si ſatis eſt victas admonuiſſe manus!
Nec nimis affligi, nec cêu fera Parthica cædi
Hoſtis iners debet, dum tulit ipſe capi.
Perſtant ſervatæ, quas jus eſt perdere, gentes,
Plùs ſemper poſſint, quám bona ſceptra velint.
At quoties durâ præſtat cervice Tyrannus,
Mitibus ingenijs parcior ira nocet.
Ante triumphales pellantur ſigna quadrigas,
Quæ renuunt nutus ambitioſa ſequi.

Indign9 veniâ eſt, atrox, & turgid9 hoſtis.

Ingenio mitem, mitior ira premat.

Sic trahit in pedicis, quo nil est justius unquam,
Isacius victam Rex dominusq; stygem.
Sic fruitur spoliis, quo durior obstitit hostis,
Immanes jactans ex Aquilone minas.
Hoc graviùs vindex pœnis ultricibus instat,
Et premit irato perfida colla pede.
Tunc quos styx tenuit, Domino miserante recepti,
Isaciâ clari posteritate Duces.
Hinc Abrahæ series, hinc regia nomina Iudæ,
Hinc grandi pretio stat repetitus Adam.
Thariades, centumq; alij quos purpura vestit,
Et numero quovis plebs radiosa carens.
Candidus innocuis rutilans exercitus astris,
Multaq; victorem palma secuta suum.
Io! canunt superi, toto sonat æthere plausus,
Io! dedit tellus, reddidit Io! polus.
Ergo diu tanto vigeant sub Principe leges,
Inq; suâ durent regia sceptra manu.
Ille feras placidâ gentes moderetur habena.
Imperium cæli, Rex DEUS, ille ferat.

ELE-

ELEGIA XXXVIII.

Triumphus Regis Judæorum.
Seu
Ascensio in Cælum JESU CHRISTI.

HActenus emeritis terras implere trophæis,
Regius hic ardor, sedulitasq; fuit.
Vt quanto lapsum studio subvexerit orbem,
Rex DEVS, humanum penset ab inde genus.
Et quo plùs meriti terrrarum cura recepit,
Plùs fidei, Domino debeat illa suo.
Nam simul & domuit tenebras, & præmia lucis,
Seposuit memori mentis in arce suæ.
Et quod ab humana suscepit origine corpus,
Iam cupit æthereis associare thronis.
Hic secum curas, secum mortalia serta,
Communi terræ portat in astra bono.
Nam quia terrarum pariter, pariterq; polorum,
Alternâ Princeps regnat utrisq; vice.
Alterno voluit superos intrare triumpho,
Et mundo fœdus conciliare poli.
Tollite sidereas rutilo de cardine portas,
Rex venit, æternas astra levate seras!
Tot spolijs auctus, tot sceptris clarus & armis,
Edomito felix victor ab hoste redit;

Quem byſſus dives, quem regia gloria veſtit,
Accendit ſacras aurea flamma comas;
Qui lethen domuit, vectes effregit Averni,
Iſaciæ primus Dux legionis adeſt.
Ocyus ingentes gemmis attolite poſtes,
Aligeræ, cæli gens numeroſa manus.
Strenuus in bello Princeps, in pace benignus,
Clementi miſcens, juſſa ſevera genæ.
Qui victus vicit, victos ut ſolvere poſſit,
Atq; Charontæa eſt juſſa vacare ratis.
Virtutum Dominus, terras, quibus aſtraq; condit,
Auguſto pulſat limina celſa pede;
Iſte, levate fores, quas noſtri exceſſibus orbis,
Iuſtior æterno clauſerat ære Themis.
Moverunt ſuperas, ea terræ claſſica, ſedes,
Et patuit totis arx opulenta bonis.
Arx quæ ſceptrigerum complectitur una Tonantem,
Subſidio trepidæ quæ ſolet eſſe rei?
Arx quæ ſplendidior, radioſo jaſpide fulget,
Criſtalli puro, purior illa vitro.
Biſſenæ claudunt ſtellantia mænia portæ,
Angelus obſervat limina quæq; vigil.
Tres oriens, Aquiloq; ferox, tres nimbifer Auſter,
Tres videt occiduo ventus ab axe tepens.

Quodq;

Quodq; nimis rarum, Memphiq; decentius ipsa,
Quamlibet hic portam margaris una dedit.
Sustinet illustres auro basis aurea muros,
Bisseno fulcit gemma corusca jugo.
Planities cepit stadiorum millia bis sex,
Quâ stetit in solitis arx fabricata modis.
Ad centum fermè cubitos, decadesq; quaternas,
Explicitus pulchro murus in astra situ.
Tantæ compererat molis sacra tecta fuisse,
Aurea quæ vastum transit arundo locum.
Bisseno gemmæ sustentant mœnia collo;
Quas super ipsa DEI nititur alta Domus.
Primam fert aciem pretioso jaspis honore,
Ac inconstanti Saphyrus igne virens.
Hîc Calcedonius radiat, divesq; Smaragdus,
Sardius hinc ardet, Sardonicusq; jubar.
Chrysolitus partem, partem vaga flamma Berylli,
Attollunt Divi, mole latente fori.
Auro Chrysoprasus, viridi Topazius astro,
Innata certant utraq; gemma face.
Deniq; quod superest spatij, par sustinet unum,
Hinc Ametystus, & hinc lux Hyacinthis amans.
Iamq; triumphalis descendit in ostia pompa,
Immensas laudes, votaq; mundus agit.

Aligeræ pubes, ingens exercitus Orbis
Ætherei, passim subdita colla jacit.
Isacij Patres præeunt, præit ordine longo,
Suavis, ab æterno turba redempta jugo.
Ipse subit victor per cernua sidera CHRISTVS,
Per stellas humiles, congeriemq; facum.
Quælibet augustas optabat tangere plantas,
Quævis se Domino supposuisse pedi.
Quæ tetigit melius sibi visa est stella nitere,
Accendit passu prætereunte polos.
Donec ebur Solij pressit, dextræq; Paternæ,
Iunxit purpureum Rex super astra latus.
Misceri superis tribubus voluêre Camenæ,
Cælica mortalem respuit aula Chelym.
Vox monet instantes, ne quæ transcendere limen,
Aût per sidereos audeat ire choros.

Cui terrena placent, gustare superna nequibit.

Nam qui terrestris se polluit æquore musti,
Non poterit nectar sumere dulce poli,
Vnica spes mæstis cumulat solatia Musis,
Quod sacras CHRISTI Crux, sibi præstet opes.
Hæc Domini damnum, superas hæc sufficit arces,
Sub qua, pro lauru carmina Musa canet.
At quo non licuit cupidis assurgere votis?
Non excludendis ire licebit aquis.

Ad M. N. D. Sanctificationem.

SENATOR OPTIMUS.

Si Rempublicam ignaris, & non magni pretij hominibus committas, ſtatim & nobilium, ac ſtrenuorum iram in Te provocabis, ob contemptam eorum fidem, & maximis in rebus damna patieris.

Diocaſſius.

LIBER II.
ELEGIARUM.
SENATOR OPTIMUS,
In Celsissima & Illustrissima
DENHOFFIORUM Familia
EFFIGIATUS.

ELEGIA I.

Serenissima VERONA Arragoniæ Regina, prima DENHOFFIA consors, feris ab Ansferhorbio Hispã. Rege exposita, à Duce DENHOFFIO liberata, cui postea nupsit. *Nolimbergius in Symbolis Portugall. & Arragoniæ Regum.*

VERONA DENHOFFIO.

Mascula in Principibus fæminis virtus.

QVisquis es Arragonis fiducia maxima gentis,
Ereptam miseræ, dum potes affer opem.

Quis ſtatus, ipſe vides, noſtri ſed peſſima regni,
Vindice, quod ſupereſt corrige fata manu.

Civis in adversâ fatorum molepro batur.

Non hic enim labor eſt, vel magni gloria Civis,
Poſſe aliquid, lenis dum favet aura poli,
Sed cùm Sithonij cælum rapuere furores,
Oppoſito niti robore, grandis honor.
Quilibet ignavus, dum languent æquora remex,
Ducere, quo placuit, lintea plena poteſt.
Aſt ubi cærulei volvuntur in æthera montes,
Hic vir, hic eſt Typhis, qui bene vela regit.
Neſcit, qui nunquam varios expertus agones,
Civicus in qua ſit conditione ſtatus.
Grandia, dum non ſunt, mens prælia concipit audax,
Quæ mox aſpecto detumet hoſte minor.
Res facilis, divum verbis animare ſenatum,
At gravior Getico cura calere ſago.
Non vacat innumeris rem declarare trophæis,
Vt quævis forti Patria Cive ſtetit.

Veronæ ſpumans tinſidia-urAper.

Nam ferus hinc inſtat lunatis dentibus hoſtis,
Inde premunt noſtras vincula dura manus.
Hæc ego læta fero, dum qui mea vulnera curet,
Lapſaq; reſtituat ſigna, vir-author adeſt.
Fortius in quosvis, quia cautiùs ibimus enſes,
Quam miſeræ clades edocuêre pati.

Quæ

Quæ toties læsis, passa est venabula villis
Nil pavet adversos Afra Leæna canes.
Primi quicque solent magis irritare dolores.
Asuetis levior plaga recepta viris.

Nulla fit assuetis passio dura malis.

Victa quod Hispanis cessit non sponte triumphis,
Id puto fortunæ, non scelus esse meum.
Si foret hoc crimen, quia bellum fæmina movi,
Quod nunquàm fieri publica jura sinunt.
Non ego prima dedi violentis hostibus arma,
Quis neget Odrysias belligerasse nurus?
Hyppolite bellax, Alcidam provocat arcu;
Capta licet conjunx Thesea facta fuit.
Provolat in Medas crinita Semiramis hastas,
Cæsarie flavum semiretecta caput.
Novit Orestee fera Taurica, tela Dianæ;
Frangit atrox celeres Iphigenia Scythas.
Cur mihi, non eadem tentare trophæa liceret?
Arragones Geticis matribus ense pares.
Sit quamvis victor, concedere debet Iberus,
Quod satis audaci duximus arma pede.
Quod benè dispositis aciem direximus alis,
Hæserunt squammis pectora, virque viro.
Fæmina dux, plures nequij præstare labores,
Quàm stupuêre vagi Bætica signa Padi.

Fæmina par forti belligerare viro

Provocat Hispanas acie Verona cohortes.

Non patitur tempus, quali conflictimus ausu,
Dicere, Celtibero quæ data damna solo?
Aût quot in Hesperios effudimus ardua fines
Robora? quot tulerat funera nuda Tagus?
Quid ferus Ansferhorb, Celtis comitatus & Indis
Senserat immodicis nos tolerando malis?
Namq; tot in bellum, qui vastas traxerat urbes,
Obrutus, effrontem quæsijt usq; fugam:
Maxima pars hostis Patrias respexit ad ædes.
Multos ex acie sustulit ales equos.
Ales equus, volucris quem causant semina venti,
Adverso mater concipit ore Notum.
Miratur genitor fœcundis Æolus auris,
Cornipedem, fratres anticipare suos.
Plurimus officio cedens, nec spicula miles,
Ferre, nec admisit jussa timenda sequi.
Non jam Gnossiacum cornu, Cilicesq; pharetræ,
Non varijs maculis tincta sagitta juvat.
Omnia spirabant cladem pereuntis Iberi,
Et mihi visa fuit laurea certa seri.
Sed Thrax opposita petijt nos cuspide Mavors,
Territus est telo, quo, meus omnis Eques.
Quiq; gradum tenuêre diu, ceßêre paventes,
Quos priùs urgebant, terga dedêre viris.

Illa prior bello, Celtica signa fugat.

Mox tamen est cuneis alea versa suis.

Nos

Nos Tartesiacæ dum colluctamur arenæ,
Incidimus sævas præda petita manus.
Iuverat hic casus Cives; nam Principe captâ,
Protinus hostilis substitit ira sequens.
Ipse tumens faustis Rex Ansferhorbius armis,
Plùs, quàm fœmineâ nos feritate gravat.
Insultat miseris, qui nunquam vincere novit,
Ancipiti scimus currere bella pede.
Nemo ferus dirâ sævire tyrannide posset,
Si satis hæc illi regula nota foret.
Alterno Geticum Numen, solet ire favore,
Quâq; priùs juvit, deprimit arma manu.
Nec nos, nec quenquam, spes sic dejecit iniquâ,
Vt non dum cecidit, surgere rursus amet.
Sed neq; cur adeò luerem, mihi cognitus error,
Si mea defendi milite jura? quid hinc?
Res aliter solij nequeunt, quàm Marte foveri,
Privatum pulsat Civica causa forum.
Utq; patet vindex populari Curia liti.
Sic causas Regum solvit arena minax.
Victa capi potui, sed non tot cladibus angi,
Non fueram rabidis proijcienda feris.
Vincula, quæ teneris dedit inclementia membris,
Enceladum possent, atq; ligare Gygen.

Incidit in sævas cæpta Verona manus.

Ancipiti casu bella venire solent.

Res solij bellum, populares Curia sedat.

Quis ſic in fragilem ſexum peccaverit hoſtis?
Ignoſcis Dominæ Rex Menelae tuæ.
Sed minùs hæc curo, modò qui nos liberet, adſit,
Fæmineas vires, barbarus ille ſciet.

Poſcit opem Dēhoff, vincta Verona ſui.

Accelera ſuis ira gravis, jam proxima ſpumat,
Quæ mea, mox acri viſcera dente ſecet.
Non peto regificos cenſus, non ſceptra thronumvé,
Me niſi, ſi merui, me niſi redde mihi.
Et nos, & totus ſunt præmia certa Senatus,
An dare plùs poſſum Regia nupta tibi?

In fœdus ;Ducem connubiale vocat.

Vile putas lucrum, redimitæ Conjugis arrhas?
Arragonum florens gloria, parvus honor?
Perſeus Andromedon, quamvis minor illa, Veronâ,
Eripuit monſtris, ut ſua ſponſa foret.
Non puduit vinctæ, quoniam Cephejus illi
Sanguis erat, grandis Caſſiopæa parens.
Nos genus à ſuperis, nos Princeps purpura veſtit,
An tibi nobilior, nupta venire poteſt?

ELEGIA II.
DENHOFFIUS VERONÆ.
Fides Senatoria in adverſis eminet.

NOn vacat ad triſtes, tibi reddere verba querelas,
Auxilium meliûs, dum reor eſſe manûs.

Hoſtis

Hostis Aper, sævo minitatur prælia rostro,
Et mea fulmineum torquet in arma latus.
Spumiferam rabiem vacuas eructat in auras,
Assurgit pingui tergore seta ferox.
Durior Ajacis clypeo, cutis illita tædâ,
Æquant belligeras, sibila crebra tubas.
Vix ego crediderim simili, Tyrinthius Heros,
Mænala, quod monstro, Grajavé lustra levat.
Provocat intrepido, me bellua, Teq; duello.
Destinat immensæ funera bina gulæ.
Sed puto, nec nostras fallent pia Numina vires;
Messuimus ferro crudius ante caput.
Nunquid arundiferis Aper iste ferocior Indis?
Aût feret Eous mollior esse chalybs?
Diffidimus galeas auro, ferroq; nitentes,
Squammosum rupit lancea nostra sagum.
Quidni setigero par sit mea dextera collo?
Armaq; dura viris sentiat hostis Aper?
Quod si difficilis palmam mihi deneget æther,
Res salva est: moriar, né moriare prior.

Intrepido Denhoff bella minatur Aper.

Non sibi, sed Patriæ civilis vita saluti,
Officio debet fervidiore coli.
Sæpè quod armatæ nequeunt præstare cohortes,
Unius capitis facta ruina dabit.

Non sibi, sed Patriæ Civilia robora florent.

Cur-

Curtius ignivomum, ſe ſolo oppreſſerat antrum,
Exitio cujus, Roma ſoluta metu eſt.
Non impune feram lethum, ſi ferre neceſſe eſt.
Idem me tumulus ſtragis, Aprumq; teget.
Tuné ferox? en cæſa jacet de corpore cervix,
Prima meæ fidei victima, jam ſit Aper.

Victor Apri, Dēhoff, meſſuit enſe caput.

Plùs opis in dextra, quàm verbis eſſe videtur,
Non ſemper culti ſpes juvat oris honor.
Gloria ſermonis pacatius exigit ævum,
Res ubi deterior, laurea prima manûs.
Et quamvis Fabio fertur Tiberina ſedente,
Vrbs victrix Lybicos edomuiſſe duces;
Sed niſi Scipiadas duros habuiſſet in armis,
Auxiſſet Conſul, Punica vincla, dicax.
Fecimus, ut ſtrato fieres ſecurior hoſte.
Ante tuos recubant hiſpida colla pedes.
Hæc quoq; quæ molles trunco ſuper alligat artus,
Serviat hoſtili dura catena jugo.
Sic caput Hiſpani, faveat modò cælicus ultor,
Regis Iberinæ ſic cadet hoſtis aquæ.
Paſcemus volucres Abilæ trepidantibus extis,
Intumulata feret corpora Bætis humus.
Diſperſos cineres, ea merces digna Tyranno eſt,
Arragonis ſanie pes teret unctus equi.

Ipſa

Ipsa etiam jussu nostro, post funera manes
Non vehet, at stygius merget in amne Charon.
Hæc feret Anserhorbs, meliùs tua castra stetissent,
Venissem, cladem si celer ante tuam.
Permissu Domini gestum reor esse Tonantis,
Oppositis pateant ut mea serta malis.
Ardua virtutem cumulant, quam prospera frangunt,
Adversis Procerum fortior ira polis.
Augustas hebetant felicia tempora mentes,
Quas acuit gravibus sors inimica modis,
Non tot in Ausoniis retulisset munera regnis,
Romuleâ Marius Consul in Vrbe frequens.
Nî septem vicibus pulsus, totidemq; receptus,
Alternâ vires exstimulasset ope.
Vis extrema feros major coalescit in hostes,
Fortibus obsequio quæ solet esse viris.
Hæc mihi suggessit robur, sociosq; sequentes,
Quos traho, juratam sub tua signa manum.
Vix aliqui raptim disjecto cive coacti,
Nè tibi post morbum tarda medela forem.
Sed poterunt plures, spero mea gesta movere.
Reginam discent vivere, quando suam.

Rebus in adversis, Regum magis ira calescit.

Major in extremis vis solet esse malis.

Res facilis duras modo sit, qui mulceat aures,
Incolumi populum conciliare throno.
Quidquid agi jubeas viso duce, perficit audax,
Et quovis studio sceptra juvare cupit.
Vix opus est monitis, vel acutæ flumine linguæ,
Fatorum ratio cum satis ipsa movet.
Non mihi Bistonidæ, Medusq; ciebitur ensis,
Vt ferat Arragoni prospera signa rei.
Sed tenor in Patriæ curas, in prælia fortis,
Quiq; suo bellum, Civis, honore gerit.
Qui sibi si vincat, metuenda pericula vincit,
Defensos gladijs, dum volet esse Lares.
Multâ domûs studio, charæq; propaginis ergo,
Multa, pio legum tactus amore subit.
Ibimus in Calpen, victricia Gadibus arma,
Vsq; Parætonijs arma feremus aquis.
Tu memor officij, firmo perstabis amore,
Servans promissi munera sacra tori.
Nos procul Hispanas ferro populabimur Vrbes,
Nam nisi depreßâ gente redire placet;
Tu, né crudelem patiaris capta Tyrannum,
Tutiùs in qua sit parte manere, mane.

ELE-

ELEGIA III.

Sereniſſima VERONA, Sereniſſimo Regi Arragoniæ DENHOFFIO.

Foris ſtrepentia arma, internæ Civiũ pacis medela;

QVæ manus, ex ipſa poteris jam noſcere gemma,
Hæc tibi ſollicito ſcribit, in arma metu.
O! quoties dulci recreat mea pectora cultu,
Geſtat, ubi dextræ nota trophæa tuæ.
Admonet æternam tibi me debere ſalutem,
Dum caput edomiti gemma recondit Apri.
Sic puto Trinacrium dum circuit æquor Vlyſſes,
Penelope picti baſiat ora viri.
Sic ubi diverſas peragrat Cornelia terras,
Pompeij relegit triſtia ſigna ſui.
Sæpius illa tamen Latijs ſe miſcuit armis,
Atq; Ducem profugâ concomitata rate eſt.
Me vix tædiferi perſtrinxit ſidus Hymenis,
Tollor ab amplexu ſaucia nupta tuo.
Vnica quam dederas, ſocialis pignus amoris,
Solatur mæſtas gemma relicta faces.
Crede mihi, plures ego ſentio cominus enſes,
Quàm dabit Eoæ Mars numeroſus aquæ.

Omnia quæ perfert, mea miles vulnera perfert,
Conficior quâvis irrequieta manu.
Nam quodcunq; vibret bellax Hispania telum,
Id puto, jam moriens, in caput ire tuum.
Si tamen indulgent aliquam tibi fata salutem,
Hæc nisi fortunæ spes manet una meæ.
Non minùs, ut semper mihi tristis imaginor ipsa,
Tu quoq;, quo tenear munere, scire voles.
Ægra tui, sed certa tamen regina mariti,
Non mihi regificum, sed tibi servo genus.
Quidquid id est quod ago, levis est hæc summa laborũ,
Si modo de victis hostibus unus ades.

Ærũnas belli par ta trophæa levant.

Non gravat ulla thronos,partis, ærumna triumphis,
Incolumi quoties sanguine regnat amor.
Assiduis ut amat, virtus sudoribus undet,
Dulcis inoffenso Principe sudor erit.
Nil facit æquoreos dives propola timores,
Cùm stetit in portu, merce referta ratis.
Nil facit ingentem pubes villana laborem,
Cùm subijt felix horrea vasta Ceres.
Vt tamen & nostrum regimen tibi certiùs hinc sit,
Quamvis hoc, etiam me reticente scias.
Pacifico fruimur, te propugnante sereno,
Vertit in Hispanos Mars fera bella Duces.

Dum

Dum foris arma ſtrepunt, pax regni viſcera mulcet,
Civiles oleas, extera palma parit.
Immiti quoties rigidus Septemtrio brumâ,
Sævit, & algenti contegit arva nive;
Qui fuit àëreum ſparſus per inane, vagusq;,
In cava collectus ſuffugit antra calor.
Erigimus lapſas, vacuas ſine Civibus Vrbes.
Augemus varij, plebe recente ſoli.
Accipiunt noſtras, pulſo diſcrimine leges,
Nec muliebre timent mœnia quæq; jugum.
Scilicet absq; gravi populum ſervire tributo,
Absq; feris volumus faſcibus eſſe forum.

Bella foris Princeps qui gerit, ille ſapit.

Plùs propè plana juvat, quàm frons caperata coronas.
Enecat aſperior ſemina jacta polus.
Nil immaturo fieri concedimus æſtu,
Lentaq; verba magis, quàm celerata placent.
Si bona vina velis, ſunt defæcanda parumper,
Quis bibat, è crudis, quæ modò preſſa botris?
Adverſos premimus ſenſus, molimine parvo,
Et quod mucro ferox ſolveret, unit amor.
Quod nequeunt duræ vitium reſecare ſecures,
Id mores placidi compoſuêre throni,
Oderunt frænos, generoſæ Nomina laudis,
Quos crux, aût multo ſanguine vulgus alit.

Quod rigor Auſterus nequijt, clementia præſtat.

Mistaq; sit quamvis reproborum vita beatis,
Respicit ad recti, vir malus, æstra viri.
Arragonum, magna est Domini fiducia sceptri,
Ad minimam faciles ire, redire notam.
In quibus est nemo pronunc, qui jussa recuset,
Invitus nemo munia nostra gerit.
Vox eadem cunctis, animus viget omnibus unus;
Non strepit ambiguum seditione forum.
Dextera nulla tepet, si jussero sumere telum;
Obsequiumq; libens subditus omnis agit.
His ego nunc recreor, nostros ubi tangis amores,
Absenti colitur civica turba viro.
Attamen ut redeas, oro; nec Apellis imago,
Restituet veras ingeniosa genas.
Ludimur ut speculo, quod candida sufficit ora,
Mendaciq; capit lumina nostra vitro.
Ludimur, affectu, sed te sine gaudia quævis,
Sunt, velut optati vilior umbra boni.
Ipse veni; plùs est, quàm si mihi Bætica Regna,
Si Tartessiaci Principis ora feras.

ELE-

ELEGIA IV.

Sereniſſimus DENHOFF Hiſpaniæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Caſtiliæ Rex, victo Ansferhorbio Regno inauguratus, Regiæ ſuæ Conſorti VERONÆ.

Bellici ſudores Civium, auro Coronarum refunduntur.

SI quid abeſt ceris, ſolitæ prout æſtimo, formæ,
Excuſanda venit littera noſtra tibi.
Laſſus eram, gladiusq́; mihi, non penna ſubibat,
Ius attramenti juſſus habere cruor.
Tunc etenim rectè domito requievimus hoſte,
Cùm tua pertigerat regia caſtra ſalus.
Mens tot Iberiacæ ſpolijs diſtractior aulæ,
Vt ſolet ex bellis, vix ſibi compos erat.
Hinc tenuit victæ tinnitus compedis aures,
Hinc populare ſibi nos revocabat epos.
Non minùs armatæ virtus exercita pubis,
Attinuit, donis conciliata ſuis.
Quosdam par ut erat, merito recreavimus auro,
Eſt data nonnullis, muneris haſta loco.

Fulgidus

Fulgidus hos, Martis tegit umbo, baltheus illos,
Gemmâ ſidereas ejaculante faces.
Officijs alios noſtræ donavimus aulæ,
Absq; ſuo nullus ceſſit honore labor.

Præmia bellaces referant poſt prælia dextræ.

Scilicet hic Regum. quibus æqui cura, ſit ardor,
Ut referat quævis præmia juſta manus.
Gemmeus in pretium, magnis ſudoribus, imber,
Aurea munifico flumine dextra meet.
Sanè nobiliùs re nullâ, ſceptra tenentur,
Bellica, quàm donis cùm ſit onuſta manus.
Regia præcingat galeatam tænia frontem,
Veſtiat Hæmenium purpura Coa ſagum.
Quo ſolet æſtivus manare frequentior imber,
Hoc ſegetes melius, ſætaq; prata virent.
Imò licet modico reſperſa novalia rore,
Pinguibus exhilarant ruſtica vota bonis.
Gordius eſt, quem dant regalia munera nodus,
Omni cêu fas eſt, irreſolutus ope.
Munificâ ſiquidem, devinctas compede mentes,
Propoſito cogunt cedere ſceptra ſuo.
Hoc eſt per medios, quod ſtrenuus evolet, hoſtes,
Et quodcunq; putat non grave miles opus.
Fervet & ardenti Mars colluctatur arenæ,
Adverſoq; nihil territus enſe ruit.

Scire

Scire cupis quantâ? prout est tibi scire necesse,
Dispulit Hispanos, Arrago, cæde Duces?
Vicimus; hinc dextri, jam penses robora civis,
Innumeras acies Bætica pascit aves.
Primus in Arragones, Rex Ansferhorbius alas,
Impegit validâ, prælia dura manu.
Exarsit Mavors, hinc inde gementibus agris,
Sub tot equis tumidi, militibusq́ Padi.
Densa sagittarum nubes nitrijq́ vapores,
Aversum nobis, eripuêre diem.
Vt solet objecto Tithania corpore Phæbe,
Fratris luciferas exspoliare genas.
Sive Thyestæas, cùm sol trepidantibus astris,
Obtexit fugiens, nocte sequente dapes.
Talis ab armorum nimbis, nox æthera pressit,
Non nisi fatales emicuêre faces.
Insidias quot! ego quæ summa pericula fregi!
Enumerare satis pagina nulla potest.
Quàm miserum fuerat, Celtas simul inter & Indos,
Prorsùs inæqualem sustinuisse pedem?
Nam neq́ dimidium tanti vicêre furoris,
Arragonum parvæ, femineceśq́ manus.
Cêu si Gnossiacas, premeret Galaxia stellas,
Aût Tagus Ionijs objiceretur aquis.

Vix clypeo ſpatium, vel ſtricto ſufficit enſi,
Vix aliquis probus eſt ante, retroq́; locus.
Aſpera crudelem ſpirant certamina cladem,
Vitam, non aciem, poſcere viſus eram.
Sed DEVS infirmum, cûi vis, reparare Gradivum,
(E cælo quævis laurea, namq́ venit.)
Ille novas flammas, jam, jam morientibus extis,
Ille novum cuneis robur, in arma dedit.
Mox avido gladios, & ſcuta reſumimus æſtu,
Fortiùs obſtantes irruimusq́; globos.
Quisq́; ſibi parat enſe viam, per atrocia miles,
Pectora ſanguineo ceſpes in amne natat.
Quisq́; perennantem quærit per vulnera laudem,
Bellicus ignito candet in ore furor.
Barbarus, ut vires ſic creſcere, viderat hoſtis,
Laxavit celeri fræna ſoluta fugæ.
Enerves calamis nervi, fluit arcus & enſis,
Rex in anhelanti mœnia pulſat equo.
Inſequimur profugos; quos invenit, occupat ira,
Impediuntur equis, corporibusq́; viæ.
Si quis inermis opem, vitæq́; popoſcerat uſum,
Implicuit noſtro ſubdita colla jugo.
Quem Patriæ ſedes, vel porta receperat urbis,
Injecto trepidis mœnibus igne perit.

Vt

Vt solet accipiter timidas agitare columbas,
In cava quantumvis, tutaq; saxa volant.
Vtq; ferus, pecudes per prata virentia sparsas,
Deijcit, & stabulis imminet usq; leo.
Sic quæ Celtiacæ fugiunt sine lege cohortes,
Cædibus, & longâ vi caluisse juvat.
Nec nisi prostrato rabies satiata Tyranno est.
Iam tibi, jam pœnas, suppliciumq; dedit.
Scilicet injustis rapiens aliena triumphis,
Et sua quæ tenuit, perdere dignus erat.
Ambitio sibi virus alit, quo sæpius ipsa,
Inficitur culpæ succubitura suæ.
Hæret amans escæ, maculoso piscis in hamo,
Qui potuit spumâ pinguior esse suâ.
Torquet dira sitis, præcordia læsa veneno,
Quæq; magis lethum causat, amatur aqua.
Hostis ut edomitus, fractis deferbuit armis,
Accessêre jugo Celtica regna meo.
Quidquid ab Oceano Boreali sustinet orbis,
Quâ Pyrenæus parte vagatur apex.
Herculeis, quantum gens interjecta columnis,
Occupat, & rapido flumine potat Anas.
Gades, atq; virûm præcellens Corduba flore,
Castellæ Regnum, cum Legione meum est.

Qui cupit externis ditari, propria perdit.

Imperijs pelagus noſtris & littora parent,
Seu rate, bella licet ducere, ſive ſolo.
Hiſpaliæ ſceptro, rigidum mutavimus enſem,
Pro galeâ, victrix frons, diadema gerit.
Sic audere juvat; modicis incendia flammis,
Creſcunt Palma gravi, pondere preſſa viget.
Quàm fuit Hiſpanis, res noſtra phalangibus impar!
Eſt tamen adverſi fulminis aucta metu.
Indole non numero paritur victoria quævis,
Nec caret immenſus, ſpe meliore labor,
Hæc tibi læta reor, poſt tot diſcrimina belli,
Infectâ quamvis, ſanguine ſcribo manu.
Noveris Hiſpani, quod ſis Regina, Senatûs,
Præſtitit id gladius, dextraq́ noſtra tibi.
Heſperiæ victor, Thetidis Dominator Eoæ,
Iam Tuus ut venias, in mea regna peto.

Virtue noæ numerus, certatro phæa parit.

ELEGIA V.

Illuſtriſſimorum DENHOFFIORUM In Eccleſiaſticis Proceribus Pontificia Dignitas.

ALEXANDER SECUNDUS Summus Optimus Pontifex.

Armis & Proſapiâ DENHOFF, ex Ducum Franconiæ Linea. *Platina in Alexandr. II.*

Prima Procerum cultura, DEI cultus.

INdue, *quàm poteris ſummos pia Muſa cothurnos,*
Difficilis cauſa eſt, retrotrahenda tibi, Ar-

Arduà confiteor, quæ maxima culmina mundi,
Te tamen omnis erit mollis, agente labor.
Scis etenim, quamvis nulli data ſcire facultas,
Quâ ſtat Aboriginum conditione decus.
Quæ ſuperûm virtus, quæ ſint molimina Regum?
Vltima cæleſti, primaq́; mente tenes.

Nobile principium ſæpe latere ſolet.

Et licet immenſæ lateant exordia famæ,
Non poteris fontem prodere Nile tuum.
Attamen ex ipſis Numen cognoſcere cauſis,
Unde fluunt, aptâ præcocitate potes.

Proditur indicijs, gloria magna ſuis.

Texerat, ut potuit Corybantica cura Tonantem,
Majeſtas fletûs prodidit ipſa Jovem.
Poſtquam purpureos DENHOFFIA gloria faſces,
Inſiluit ſtudium, vicit honore meum.
Non patet, in quantos ſpes eſt diffuſa Nepotes,
Regia; quos aluit Celtiber orbis Avos.

Implevit totũ virtus Denhoffia mundũ.

Hoc ſcio, quod toti virtus ſit cognita mundo,
Magnorum plena eſt ſanguine terra Ducum.
Quàm fuerint acie fortes, quàm viribus acres;
Floruit officijs quælibet aula ſuis.
Nomina ſurripuit, non circumſpecta vetuſtas,
Majeſtas res eſt invidioſa nimis.
Quæ colit, abſcondit, venturis parcior annis,
Relligio ſoli Numina nota ſibi.

Unicus ex multis Francorũ Patribꝰ Hæres.

Tu fueras omni meritorum tempore præſens,
Tu mihi quæ noſti ſidera, Muſa refer.
Ipſas, pro! ſuperi, lethæa oblivio Muſas,
Non evincendis merſit avara fretis.

Regia, quo Denhoff transtulit aſtra Domûs.

De tot Franconiæ Ducibus, quo ceſſit Eoi,
Regis honor, Princeps unicus, implet Avos.
Is tamen eſt Summus, triplicem cûi Roma Coronam,
Et Vaticani detulit aſtra throni.

Manſit Alexander, Numine ſtãte, Papa.

Alter Alexander, ſed nulli laude Secundus,
Pro Capitolino, dat Caput ipſe Domûs.
Illud Equi fuerat, quod Martia fræna momordit,
Hoc Apri veteres eruit inde Deos.
Crevit abhinc Dominæ ſpecies pulcherrima Romæ,
Cælica regna ſuas contribuêre vices.
Senſit Alexandrum ſolij provecta poteſtas,
Qualem nec Macedo, nec tulit aula Phrygum.
Illius ad placitum ſuperi, cum Numine Cives,
Æthereas prorsùs deſeruêre domos.

Relligio Proceres non labefacta decet.

Maxima laus Procerum cultu caluiſſe Polorum,
Vulgus opes firmat Relligione ſuas.
Imò cor eſt, teneram cûi debent regna ſalutem,
Numinis æterni non labefactus honor.
Proſpera cæleſtes, ſunt cuncta colentibus aras,
Si pietas nullis contumuletur avis.

Extrahat

Extrahat Alcinous pinguem de cespite succum,
 Arida pomorum quas feret arbor opes?
Quiq; sitim pellit, si fons uligine crassâ est
 Clausus, quas sitiens hauriet hospes aquas?
Si cultus superûm terrestribus abstinet aris,
 Quæ sors est stabilis? quisvè senescet honor?
E cælo quævis fluit alti gloria sceptri;
 Sidereæ tribuunt serta, thronosq; manus.
Hinc prout in magnis præsentia Numina donis,
 Credimus, officio sunt celebranda pari.
Talis Alexandri pietas, Denhoffia fixit,
 Immemori serie sceptra vetusta sibi.
Plùs est; Cælestes illi decernere causas,
 Ius erat; hoc solij Pontificalis onus.
De quo vera loqui, sunt magna pericula linguæ,
 Quoq; manus scitur, noscitur inde magis.
Hic ab Alexandri metuendo fulmine pendet,
 Nec vult plùs sciri, quàm jubet ille DEVS.
Quidquid enim cælo, vel limite clauditur orbis,
 Clavigeræ reserant, jure favente manus!
Scilicet in superos pariter, pariterq; Monarchas,
 Vis data regnanti non moritura Petro.
Nevè suis noceant, stygiales civibus artes,
 Tartara Pontifici fons cohibere pedo.

Pontificum scitur lege jubente Deus-

In cælũ atq; stygem jus habet aula Petri.

Acci-

Accipit ipſe ſacras violentior orcus habenas,
Et Phlegetontææ lege tenentur aquæ.
Nullus honor mundi, quem Piſcatoria Petri,
Nullæ ſunt, quas non gemma ſigillet opes.
Sic meritis crevit Geneſis Denhoffia ceris!
Sic populo, ſanctum jus dedit, atq; polo!
Crevit Alexander Tarpeja grandis ab arce,
Vnde Tyaratus ſidera ſpargit apex,
Nil magnæ nocuit contraria Regia famæ,
Quæ Cadolum mundi juſſerat eſſe caput.
Nam quo fervidiùs pro ſummis faſcibus inſtat,
Hoc premitur graviùs, reijciturq; furor.
Auſus erat ſancto ſeſe conferre Monarchæ
Æmulus, auxilium Cæſare dante procax.
Quodq; ſibi Procerum ſeries trabeata negavit,
A forti voluit culmen habere ſago.
Nil tamen effecit, regni furioſa libido;
Sæva DEUM contra, quis benê tela vibrat?
Adjuvat æthereos quævis fortuna triumphos.
Proficit ambitio, cum probitate nihil.
Æneas quatitur pelago, jactatur & Ajax,
Diſparibus ventis hic ferus, ille pius.
Illi fulmigerum placat Cytherea Tonantem,
Hujus atrox ſuperûm disjcit ira rates.

Cadolus Epiſcopus Parmenſis, ab Imperatore Henrico IV. deſignatus Pontifex, cõtra Senatus Cardinalitiũ Anſelmum Epiſcop Lucenſẽ hoc eſt Alexandrum II. elegit & coronavit cui poſtea reconciliatus eſt Cæſar. Joan. Bapt. de Caval. Chr. l. Rom. Põt. effigies Effigiel. 159

Hic

Hic ſcelus occubuit, pietas ibi fauſta triumphat,
Cælo verbenas accelerante ſuas.
Sic ad Alexandri Cadolus confunditur aſtra;
Patria Lucenſi cedere juſſa togæ.
Scilicet hic Parmæ, Lucenſibus ille Tyaris,
Ius & Præſidium, Præſul uterq; dedit.
Ceſſit & Henricus, poſtquam ſuffragia Romæ,
Cæſareas vidit poſtpoſuiſſe minas.
Roma cadit ſupplex, fervent Capitolia plauſus
Purpurei Dominum vix cecinêre Patres.
In Caput evectus terræq; poliq; ſupremum,
Senſit Alexander quid ſibi ſtemma volet.
Texit enim longo Denhoffia Curia tractu.
Quod per Apri ſtatuit culmen adire Caput.
Quæ tunc pax Vrbem? quæ Daunia Regna voluptas
Obtinuit; Iani vecte premente fores.
Templa quot? atq; forum, miracula clara repleruut?
Attactu divæ continuata manûs.
Ille pedum, putri contractos ulcere nervos,
Affuſis dextræ, vivificavit aquis.
Tum quæ vix ægro traxit veſtigia paſſu,
Fæmina cæleſti læta cucurrit ope,
Dum bibit, ex uſu manuum, quæ fluxerat, undam,
Præſule conſuetum perficiente ſacrum.

Augurium ſummi Capitis, Caput extitit Apri.

Sigon. Libr. 9. Regni Italici.

Ille quod ipse nequit medicis Epidaurius herbis,
Sanavit solâ morbida membra prece.
Dæmone propulso, miseros qui insederat artus,
Imperium in Ditem, prodidit esse suum.
Quales aspiciet DENHOFFIA fama Nepotes,
Cùm Sanctos, Vrbis Numina, scribit Avos!

Leo Ostienf. l. 3. Chrô. Caffin. cap. 35. Baron. Tom. 11

ELEGIA VI.

Illustrissimus MEINHARDUS, Apostolus & Episcopus Primus Livoniæ, à DENHOFF, ex Franconiæ Ducibus oriundus.

Cranz. l. 7. c. 13. Saxon.

Fundamenta felicium Regnorum, demolita Idola.

INclyte Franconios, qui reddis sanguine Patres,
Et Denhoffiacum Dux MEINHARDE genus;
Qui licet æternis lateant tot gesta sub umbris,
Iliadem Procerum solus obire potes.
Forsitan invitis à me revocabere bustis,
Nam post tot Fabios, unica fama manes.
Heu mihi! quàm magnæ sunt invida tempora laudi!
Cimmeriâ quantus, nocte tegetur honor!
Quem loquar, ex tanta generis farragine primum?
De quo fonte mihi certior unda fluet?

Franconios explet, Dux Meinhard9 Avos.

Nil

Nil minùs expecto, ſerie quàm dicere rectâ,
Tot præterlapſi, ſanguinis Aſtra freti.
Res in comperto; cêu flumina, Nomina mundi,
Principium cupiunt ſæpe latere ſuum.
Improbet hoc ſi quis, ſuperos caligine tectos,
Et niſi ſub cæcâ noſcat adire fide.
Improbet, aſt certum nunquam ſciat ipſe videri,
Quin oculus pœnas rore tepente luat.
Hinc mihi ſpes veniæ, ſi tangere cuncta nequibo;
Quæq; patent non quæ ſunt penetranda, canam.
Hæreo? cùm Livones Meinhardus calcat arenas,
Balthica quem noſtro detulit unda ſolo.
Tali ſtirpe ſatus! per tot diſcrimina vitæ!
Æquor Apoſtolici muneris ultrò ſubit.
Hic dignum trabeâ cùm ſe meliore videret,
Nil ſibi proſperiùs cenſuit, atq; pati.
Hoſtibus in medijs, inter fera Livonis arma,
Vnâ ſecurus ſubſtitit ipſe Cruce.
Et tanquam patrijs conſultaretur in oris,
Invia ſic tuto tranſijt arva pede.
Nulla fuit protunc fidei lux, Civibus illis,
Nulla fuit veri cognita cauſa DEI.
Robora, ſerpentes, pallentia mortibus oſſa,
Feles Livonici, ſtyxq; fuêre Dij.

Abſcondunt ortus Numina magna ſuos

In Livones properat pacata Balthide terras.

Nulla fuit Livoni cognita vera fides.

Qui miseras mentes, ut Averni limite stringant,
Eumenidum diro corda pavore replent.
Quis labor hic fuerat? totis concurrere sylvis?
Victrici lucos sternere posse manu?
Barbariem virus stygium cum lacte bibentem,
Iam quibus assuerunt, dedecuisse deos?
Fecit id, & sanctâ Livones sub lege reliquit,
Innumeras CHRISTO, dans Meinhardus oves.
Quercubus accensis, lustravit mænia terræ,
Oppressit vafros simplicitate lupos.
Tartarus in veteres propulsus ab urbibus umbras,
Frendebat firmis clausus utrinq; seris.
At simul effigies, ignotaq; gloria CHRISTI,
Ac unus Livoni visus ubiq; DEUS.
Templa relucebant, populi vallata coronis,
Factaq; trabs ilex, pro Iove culta priùs.
Finge tibi quali tot frigora, totq; labores,
Sustinuit zelo! quæ mala sæpe tulit!
Quoq; rudes, animo Meinhardus fregerat hostes!
Atq; probris toties continuatâ probra!
Murmura, fine carent, quid sæva pericula vitæ?
Et similes morti, Marte strepente metus?
Omnia felici vicit Denhoffius ausu.
Mollivitq; suis pectora bruta bonis.

Cessit Apostolico Meinhardi, terra labori.

Id

Id nimis inculcans; nè barbara Numina præter,
Unum qui colitur, fas ſit habere DEUM.
Et Rex ferre pares, & ſol ſocialibus aſtris,
Quamvis id non ſit, cedere poſſet adhuc.
Ætheris imperio Numen niſi præſidet unum
Nec ſocium patitur, nec ſibi ſcire parem.
Illius immenſos, immenſa potentia fines,
Non habet, & nullo clauditur orbe DEUS,
Nam quicunq; foret cæleſtis terminus Aulæ,
Ille DEUM terris tolleret, atq; polo.
Quidquid agunt homines, præſens auditq;, videtq;
Datq; vel aſtra bonis, vel Phlegetonta malis.
Aſpicit intento mortalia ſceptra rigore,
Non illum noctes, non tenet ulla quies.
Semper inexhauſtâ molitur mente, quod explet.
Utraq; regna jugo nobiliore premens.
Attamen hæc manſit ſcelerum mortalibus anſa,
Ut palpanda magis, quàm metuenda colant.
Neſcitur Dominus, potior ſit gratia truncis.
Aût quæ ſulphureâ de ſtyge monſtra natant.
Hæc bonus ajebat, populantibus improba flammis,
Antra Deûm, certæ ſpe Meinhardus opis.
Felices nimium, licet aſpera denegat arctos,
Livonici poterunt ſe memorare ſinus.

Unum prætera-it crimē, habere Deum.

Quorum perpetuis Denhoffia pectora curis,
Ardent seu leges, sive ferenda salus.

Nil melius fidei zelo, super evehit aulas

Nec puto servandis quidquam felicius aulis,
Unà quæ vera est, Relligione dari.
Hæc requies populi, medicinaq; publica rerum,
Hac reor absq; status quilibet æger erit.
Nam per idolorum cineres, erebiq; ruinas.
Assurgit celso gloria quæq; gradu.
Corruit ut primùm cristas gravis erigit orcus.
Lassaq; naufragijs lembus in ima cadit.

Quot populis fidei dat rudimenta probæ ?

Quid nunc Meinhardo fidei pro lumine debes?
Iam Livo, jam Lites jam brevis ense Curo?
Vos quoq; felices, quos ardua mœnia Rigæ,
Balthide, per fossas circumeunte tenent.

Rigensis Cathedræ Præsul, & Author erat. Cranz. libr. 7.

Hic etenim primam venerando munere sedem,
Hic posuit vero templa dicata DEO.
Ipsa videbantur concurrere ligna, trabesq;,
In sacras ædes, ipse salire lapis.
Noster hic Amphion, placidis id moribus egit,
Quod sonitu cytharæ præstitit ille suæ.
Censibus æternis Cathedrâ, Cleroq; refecto,
Omni Præsul amans se spoliavit ope.
Sed quia barbaries, ad pristina labitur audax,
Quosq; receperunt, mox pepulêre Duces.

Dunavias

Dunavias forti ripas instruxerat arce,
Lege novâ muros, vallaq; tuta dedit.
Vt quoties subito Curones, Littesq; furore,
Irruerent obex, arx foret illa mali.
Sic incompositus Livonum, semperq; renascens,
Præsulis insigni substitit arte furor.
Ipse Tyarato radiosos sidere canos,
Optatis tandem miscuit ultrò Polis.

Dunaviæ ripis, Kircholm superinstruit arcem Idem.

ELEGIA VII.

JOANNES CASIMIRUS Comes à DENHOFF, priùs Abbas Claræ Tumbæ, deinde Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, THEODORI II. Supremi Regni Succamerarij Filius.

Victoriæ Principum, per manus Sacrorum Antistitum DEO optimè immolantur.

DEsine Pergameos Latium jactare Parentes,
Ausonij quondam sidera magna throni.
Sunt Drusi, fateor, sunt Martia pectora Scævæ,
Sunt Decij famæ grandis arena tuæ.
Novit enim vastus, quâ sol cadit, atq; resurgit,
Novit Romuleos ultimus orbis Avos.

Atta-

Romulæos æquat Lechica fama Duces.

Attamen & nostris non infima gloria sceptris,
Sarmaticæ pariunt nobile lumen aves.
Præstat Aper, Daunis apibus Lybicoq; Leoni,
Quælibet est illi, gloria summa minor.
Gens Denhoffiadûm, molimina sustinet orbis,
Cælesti præsens Numen in ore viget.
Altiùs Hispano, quid habet sors magna Senatu?
Quid Româ meliùs? culmen utrumq; tenent.
Non vacat ingentes, fastis brevioribus, æstus.
Stringere magnanimo nota trophæa Lecho.
Aût quæ præterijt, generosi pectoris ira,
Dum premit audaces, Marte calente Getas.
Aût quibus est noviter maculatus cladibus Ister,
Præcipiti nimium, non satis amne fugax.
Hic mihi post alios sudor, majore redibit,
Gurgite belligeros cùm dabit aula Duces.
Nunc Sacri retinent Musam, spe divite fasces,
Purpureis clarus Patribus ordo patet.
Maxima cùm totum celebretur Roma per orbem,
Hinc Majestatem ponderat illa suam.

Pontifices auget Dēhoffia gloria fasces.

Quod Denhoffiaco submisit culmina sceptro,
Ac in Alexandri vertice, summa stetit.
Vtq; pios magnæ libavit gentis honores,
Pluribus invitat Numina tanta bonis.

Omni-

Omnibus optaret Denhoffia sidera templis,
Omnibus, ut par est, eminuisse modis.
Dant illi stimulos, notæ cum sanguine laudes,
Quamq; libet longo tempore, ducta quies.
Quodq; velut compto vernarent mœnia Pæsto,
Nullaq; quod Cives damna tulere sui.
Quod non dira sitis, torqueret regna, famesq;,
Cùm Denhoffiacâ protegetur ope.
Hinc ad purpurei rursùs vocat astra Galeri,
Imperijs aptum, consilijsq; Caput.
A Lechico veniens caducifer orbe Ioannes,
Inter Romuleos occupat astra Patres.
Fama potens Regis, nullo se posse, professa est,
Quàm Denhoffiaco digniùs ore loqui.
Nam post edomitos, quos Cynthia moverat hostes,
Primus is, armorum testis in Vrbe fuit.
Quo Thrax, quo Rhodope, quo fulmine fractus Araxes;
Barbara castra Daci, quâ cecidêre manu!
Quo Mars Sarmaticus terram, pelagusq; cruore,
Austriacam quantâ clade refecit humum!
Quali cinctus erat populorum flore Monarcha,
Rex suus, at Cydonum, Massagetumq; metus!
Cûiq; dedit vitam, quali subvecta decore est,
Iam propè Bisthonio pressa Vienna jugo!

Purpureus redimit Casimiri vota Galerus.

Legatus victo Bisthone, Regis erat.

Bella refert Thracum propugnatâq; Viēnam.

Militis insignes animos, Procerumq́, Ducumq́;
Exactâ nimium singula laude refert;
Missus ut Odrysij vexillum triste Tyranni,
Pontificis sacros poneret ante pedes.

Pontifici summo, vexillũ Bisthonis offert.

Sic utinam quævis Regum victoria cælo,
Affluat in superos quisq́; redundet honor.
Arma manus bellax tractet, sed gloria palmæ,
Unde venit, soli est attribuenda DEO.

Quælibet est soli palma locã da Deo.

Multi bella gerunt, quorum fortissimus ille,
Qui nihil æthereo Numine majus habet.
Utq́; polo quævis res condita militat orbis,
Sic omnis laurus sub sua jura cadet.
Mitia quantumvis vix sunt sine crimine tela,
Quæ manus Antistes conciliare solet.
Est brevis, ac sterili Martis tumulatur arenâ,
Quæ non rore poli Laurea fæta viret.
Iustiùs an poterit quisquam sua bella tueri!
Quàm qui captâ DEO non nisi, signa vovet.
Hoc Rex Sarmatiæ, superato præstitit Ortu;
Perq́; manus superis tradidit arma sacras.

Antistes superis offerat arma manus.

At cùm tam placidè, quàm Tullius ipse nequiret,
Pro Lechico Denhoff solveret ora throno;
Excivit Latium, Vaticanasq́; curules,
Quàm volet, est illi purpura jussa capi.

Accẽdit totam suadæ dulcedĩne Romam.

Né

Né quoq; Sarmaticum, Roma sibi dulcius arvum,
Adstrueret magnis obstitit illa bonis.
Sic Claræ Tumbæ nuper meritissimus Abbas,
Purpureos proprio strinxit honore Patres.
Ænotriæ sidus, Lechico de Cive, Quirinus,
Sic Romam Patriæ prætulit ille suæ.
Tunc novus incendit Tarpeja culmina splendor,
Qualem nec Teucri Martia flamma dedit.
Non tamen ut noceant, ardent incendia famæ,
Iliaco lumen distat ab igne suum.
Quidquid enim lucis Denhoffia gloria nutrit,
Ingenitâ manat de probitate Domûs.
Sanguinis hoc munus, Casimiri pectore clausum,
In Tyberina suas mœnia duxit opes.
Laudibus, atq; pijs accendit moribus Vrbem;
Visa fuit claro Roma flagrare Viro.
Quoq; sacri vertit præsentia sidera vultus,
Splendidior fermè subsistit ille locus.
Sive Palatinas hospes percurreret arces,
Incessu grandi Numinis instar erat.
Sive suæ peteret Xenonis data limina Curæ,
Obruta muneribus cessit egena manus.
Seu proprias ædes, seu publica templa subiret.
Sensit ubiq; bonum pressa levamen humus.

Uritur exēplis Urbs, studio-q; viri.

Romæ, priusquā Cardinalis Præpositus fuit Hospitalis.

(Ii 2) *E male*

E malè compositis, ut scilicet accidit orbi.
Exemplo sanctos reddidit ille Lares.
Digniùs haud unquam multis regnaverat annis,
Nec plùs se vidit Roma beata piam.

ELEGIA VIII.

GEORGIUS ALBRACHTUS Comes à DENHOFF, S. R. I. Princeps, Episcopus primò Camenecensis, deinde Premisliensis, tandem Cracouiensis, magnus Regni Cancellarius, SIGISMUNDI S.R.I. Principis, Gubernatoris Sokal. Bygdost. &c. Filius.

Antistites facundi, Aras fæcundant.

HOc tibi Musa subit, divinâ voce canendum,
Quod populi toto nomen in orbe canunt.
Ille fatiscentem vocat in sua carmina pennam,
Cûi par vix Ales Majus esse potest.
Ille jubet fastis suadâ probiore referri,
Qui fuit Augustis os animusq; suis,
Suscipis? an magnum formidas tangere limen?
Si qua potes vires tuta probare, proba.
Ipsa tamen celsæ prona est clementia mentis,
Auxilium nostris, spemq; fovere metris.

Os Regñ, Princeps, auxiliumq; fuit.

Atq;

Atq; minor trochilus, magnæ Iovis alitis usu,
Impiger ad summos remigat usq; polos.
Sic ego mentis inops, & honori Principis impar,
Ingenio potero tutior esse suo.
Nec mihi, nec Musis est tanta potentia linguæ,
Vt valeat culti mella referre styli.
Ad sua deficiens oracula fortior orbis,
Nescio, quod rerum non superasset onus
Sive gravi Lechicum leniret voce senatum,
Infirmis validæ spes rediêre Lechis.
Sive quid exigeret, sic mollia pectora fecit.
Vt solet hybernas solvere flamma nives.
Prosperius nunquam solidas facundia vires,
In Procerum visa est exeruisse status.
Nec potuit meliùs, nec Sarmatis ambijt aula,
Quàm docto nostri Principis ore loqui.
Patritias habili cùm ferret pectore curas,
Non ita credo, Remi tutus Asylus erat.
Vulnera cruda mali, seu pristina rupta cicatrix,
Illius cautâ sunt medicata manu.
Imò licet medicam, virus superaverat artem,
Nil quod is, ex morbo non relevaret erat.
Talibus optabat se Cancellaria Gemma,
Talibus offerri quælibet aula viris.

Facundi valuit vi Cancel-larius oris.

(Ii 3) *Vidimus*

Vidimus à solio, quâ Majestate locutus,
Seu res mota Lechi, seu peregrina fuit!

Externis facilem dabat Oratoribꝰ aurem.

Quàm fidam varijs dedit Oratoribus aurem?
Et nimium celeri dicta resumpsit ope!
Cùm vel ab occiduis peteretur Regia sceptris,
Vel supplex oriens fœdera longa volet.

Dicta nimis facili reggerit arte suâ.

Gallicus Orator, vel Iberæ dixerat aulæ;
Romavé, vel Theuto, Battava, sive Thetis,
Omnibus exactâ terris respondit amussi,
Verba retorquebat, non recitata prior.
Vix puto Cyneas, Domini sic nomine Pyrrhi,
Adrastivé capax Tydeus oris erat.
Vt pro Sarmatico Denhoffius orbe perorans,
Eloquij palmam, cum gravitate tulit.

Innumeris melior Procerũ prudentia donis.

Non sic Barbaricæ laurus, opulentaq; Juno,
Ut docti recreant sceptra timenda viri.
Dulce ministerium, quod linguæ suada propinat,
Et semper meliùs Dite, Minerva valet.
Condit opes Regum, Procerum sapientia, nec plùs
Auri, quàm cerebri massa recocta potest.
Nec solijs tantùm, sed & adstipulantibus aris,
Facundus Mystæ profuit oris honor.

In Camenecensi radiavit murice Præsul.

In Camenecensi Grajum, sibi rupe Bicollem,
Fixerat unde Lechis, Delphica vota daret.

Arcu,

Arcu, ſeu molli Cytharæ dulcedine vinci,
Debuerant plebis pectora dura ſuæ;
Pœnis, aût monitis cohiberi, ſuavis utrumq́,
Præſtitit alterutrâ, Præſul Apollo vice.
Hinc ſua poſcebant grandes oracula faſces,
Ambierat quævis Infula magna caput.
Invidiam fecit titulis, facundia Princeps,
Dum vovet, ore regi, quælibet ara ſuo.
Podoliæ luctu, Premiſlia ceſſerat illi,
Hæc quoq́, ſpe, celſi mox ſpolianda Craci.
Pallade ſic doctâ, gaudent florere Tyaræ;
Aurato ſuperos quæ lavet imbre tholos.
Non eſt Præſuleum, quod plùs exornet honorem,
Quàm ſtudijs quoties conſilijsq́ viget.
Eſt Ithaci potior Geticis prudentia telis,
Fax belli, ſapiens Amphyaráus erat.
Nutrit ovis, trabeæ lanam, nec dignior inde eſt,
Nam licet ornetur vellere, muta tamen.
Aoniâ pinguis redimitur victima fronde,
Sed rudiùs cùm ſit, perditur igne pecus.
Ipſe licet ſuperum menſas allambat Hydaſpes,
Aſſaraci magnæ poſſideantur opes;
Si ratio ſacris fuerit, de mentibus exul,
Divitiæ templis commoda nulla ferunt.

Præbuit hinc ſacros illi Premiſli a faſces. Mox rapuit ſolio Cracia mitra ſuo.

Antiſtes ſapiens, res eſt pretioſa Tyaris.

Morbus

Morbus atrox populi, quânam medicabilis arte est?
Si non, quæ ſanent pectora, verba forent.
Ingenij cultus, ſplendore decentior omni,
Quod proba condivit ſuada, perennat opus.
Gemma poli melior, fultus ratione Tyaras.
Hâc ſine nec pretium, nec juvat ara frequens.
Hoc bonus Antiſtes, vi ſumpti nominis egit,
Stare volens Clerum dotibus, ante ſuum.
Vsq; modò Lechicis Denhoſſia gloria ſceptris,
Provocat ardentem, non moritura ſitim.

Pulchriùs ingenio, quã gemmis Infula fulges,

ELEGIA IX.

OTTO Comes à Denhoff, Abbas Peplinenſis, Ciſtercienſis Eremi ſidus, HENRICI I. Duneburgenſ. Capitanei Filius.

Procerum dignitas, in Religioſa umbra, apricum gloriæ quærit.

JAm mihi candidior, ſoles attemperat umbra,
Æſtus abit, ſanctas veſte ferente nives.
Purpuream lucem, Ciſtercia frænat Eremus,
Nec Muſæ, luſus qui placuêre placent.
Aptior eſt illi, quàm Cynthia ſylva fovebat,
Frondibus excludens ſidera clara locus.

Abdita purpureum temperatum bra jubar.

Torrida

Torrida, si semper caleat, fax obruit agros,
Imbribus alternis gratior aura tepet.
Confiteor nostris vix est ea gloria Musis,
Vt summo niti pectore semper ament.
Transijmus Calpen, Tarpejas vicimus arces,
Lassavit tenuem purpura sacra Chelym.
Nunc meus umbrosam, licet hic quoq; lumina re-
Bernardi vallem, gaudet adire labor. (gnent
OTTO Peplineses Abbas secessit ad Aras,
Quem sequitur meriti, nostra Camæna comes.
Scilicet è latebris, ad publica munia virtus,
Tutior invidiæ certior exit opum.
Nam quia plùs affert matura potentia famæ,
Ut breve, quæ fulgur non solidata perit;
Longiùs occultâ gestit sub nube latere,
Ne tener aprico, debilitetur honor.
Aût quod amat mundus, né primæ semina laudis,
Obruat adversis, invida cura malis.
Arbor alit gelidas, crispis sub frondibus umbras,
Quæ teneros fructus solis ab igne tegant.
Luxuriat pingui vitis Lyæa racemo,
Largiùs ut latitans combibat uva, merum.
Tunc demùm justo cohibetur sylva rigore,
Cùm patuit plenos lucis egere botros.

Vis non est eadē sub quovis tempore musis.

Iñ latebris virtus culta, fit apta thronis.

Cernimus ut duris, & quid præstantius auro?
Interior saxis, aurea vena latet.
Quam varios mundi sol formaturus ad usus,
Rupe cavâ claudit, visceribusq; soli.
Oceani proles, tacito nat gemma profundo,
Nec nisi perfractis inde levatur aquis.
Culta sit illa licet, tingetur decolor astris,
Quæ semper patulum, fert proba forma diem.
Quantus erat terror populi, Tyrinthius heros?
Hunc enixa suo, nox geminata Jovi.
Sic quod in eximios sanguis sibi nutrit honores,
Abscondit doctâ calliditate priùs.
Sic ad opes Léchici crescens Denhoffius orbis,
Quæsijt ad famam tecta modesta suam.

In Cistercensi sol nitet, Otto Lare.

Umbra placet meritis, virtus quoq; pascitur umbrâ
Est nimium celsi luminis umbra ferax,
Splendidiùs nunquam Cistercia fulsit Eremus,
Dotibus Abbatis, quàm recreata pij.
Otia Peplini, Procerum vicêre labores,
Immodici census, Relligiosa quies.
Qualibus hic sertis? quot floruit Otto trophæis?
A sera sciri posteritate potest.
Quis labor illius Patriæ servire quieti!
Quantis vita bonis visa micare fuit!

Innumeris sacrā meritis accēdit Eremū.

Pro-

Profuit Argivis, quod ſcyro tectus Achylles,
Colligeret vires ad fera bella novas.
Sarmatiæ cælum, grandes hinc ſenſerat æſtus?
Noſter in umbroſâ, quod ſtetit Otto domo.
Sed vix clara feret Ciſtercia vallis & aula,
Vmbroſi quidquam Nominis eſſe ſibi.

ELEGIA X.

ALEXANDER II. Comes à DENHOFF, S.R.I. Princeps, Abbas Andrejovienſis, Ciſtercij Columen Ordinis, Filius GASPARIS Palatini Syradienſis, S. R. I. Principis.

Honor Procerum, in Palæſtra virtutum, optimè exercetur. Illuſtres Viros, non à viribus, voces, ſed á virtute.

ILle mihi magno, qui ſummos Nomine Reges
Exæquat, molli lege ſonandus erit.
Ingenium fateor, noſtrum ſua gloria frangit,
Sed ſit, ut ingentes Navita tentet aquas.
Cernimus ignavos, nandi ſpes tanta lacèrtos,
Cùm metus eſt tumidum vincere velle ſalum.
Sic mihi juſta licet, docti vis carminis abſit,
Invehar Ægeum lintre minore fretum.

Hoc quoq; Patritij Zephyris nisi flantibus ortûs,
Et Denhoffiacâ vela regente manu.
Nec libet, in talem Musas animare laborem,
Nî cæptum Princeps adjuvet Author opus.
Nî suus augusta de Majestate remittat,
Qui Macetûm terras, Nominis implet honor.
Sed quid Alexandro vidit pacatiùs orbis?
Nomen id exarmat Relligiosa chlamys.

Hostibus & vitijs est propè campus idem

Sit nisi cêu vitijs acies, sic hostibus una.
Nec se. quàm cuneos vincere palma minor.
Signa movet Martis probitas, est Hæmus Eremus,
Quæ superis lauru fertiliore viret.
Castrenses referunt, claustralia septa coronas,
Pro forti virtus dimicat ipsa viro.

Victor Alexander roboris ipse sui.

Sic ubi pugnatur, domitorem tutiùs orbis,
Ac Erebi Denhoff, hâc ratione voces.
Quas illi supplex dedit Andrejovia palmas?
Ardua Bernardi vallis arena fuit.
Ipse sui vindex, labor hic, quàm vincere major,
Aût Rodopen prædis exspoliare suis.
Scilicet illustres spectantia Nomina fasces,
Durari longo sæpe labore volunt.
Exercent validos luctâ majore lacertos,
Ut sub judicium faustiùs orbis eant.

Ornat

Ornat enim fortuna parùm, nisi stemmata virtus,
Adjuvet, & specimen grandibus addat Avis.
Fama viri perstans, non sic à viribus ullis,
Quàm de virtutum Nomen habebit ope.
Hinc duris animum volet exercere Palæstris,
Quem Patriæ curis publicus aptat honor.
Arbor, ut apricum solem ferat, abdita crescit,
Unde suas hortis scimus inesse scholas.
Pulchriùs accepto sobolescunt vulnere vites,
Quæ parcit sylvæ, fert mera nulla manus.
Quot patiens adamas Lyparæos excipit ictus?
Irradiet flammis ut diadema suis.
Ipsum quos ignes? quæ verbera sustinet aurum?
Ante coronato quàm premat orbe caput!
Sic puto spes Patriæ, sunt proxima causa laborum,
Quos merito justus fænore pensat honor.
Munus id insignis quod amat sibi cedêre virtus,
Implevit noster valle patente comes.
Cur igitur dubitet quisquam? cur mirer & ipse?
Æstibus in tantis quod sua fama calet.
Quod populi plausu, Regumq́ favore creatur,
Abbas, mox primis æquiparandus avis.
Qui forti toties certans probitatis agone,
De jacto messem, semine laudis agit.

 Iamq́;

Iamq; ſuas Mitræ, jam Princeps Inſula leges,
Poſcebant, nî mors cuncta ſtitiſſet iners.
Attamen æterno ſibi lumine militat æther,
Cûi memor invicti pectoris, aſtra dedit.

ELEGIA XI.

NICOLAUS Comes à DEN HOFF, Canonicus Cracov. multoties Judex Deputatus Tribunalis Regni, Filius FRANCISCI I. S.R.I. Principis Magnæ ſpei Prælatus.

Magnæ Procerum Indoles maturo paſſu eunt, non evolant in faſtigia.

UT quid in auguſtæ, non illicò, culmina famæ,
Innutrita thronis mens animoſa volat?
Effugiat, vitetq; licet, ſpe preſſa modeſtâ!
Eſt tamen illicijs exſtimulanda ſuis.
Non ſinit illuſtres virtus præſtantior ortus,
Obſcuras inter poſſe latere vices.
Grandibus ingenijs, quorum jubar eminet omne,
Ardua conveniunt, ſummaq; ſerta ſtatim.
Sol ut in oceani cunis, ita in auge coruſcat,
Primaq; lux non eſt, ac obitura minor.
Quis potiore fide, Patrios incendit amores?
Quàm noſter, quis plùs ſurgit in aſtra Comes?

Nemo

Nemo ferè, meliùs celsas complectitur aulas,
Nec majore Patrum, stat Domus ulla bono.
Cur igitur summos non involat ille decores?
Cur non inferior, quisq; Thiara sibi?
Certè ego, sidereæ vix sensi mentis honores,
Lumine quàm primùm, me tenuêre suo.
Id quoq; felices Musæ solabitur artes,
Materies nostris, quod sinat esse metris.
Qui mihi præsidium, tangentibus æthera vittis,
Grandis fulget apex, atq; futurus honor.
Illo nunc aderunt faciles mihi Numine versus,
Ille magis nostram comet Apollo chelyn.
Vnde gradu lento fastigia maxima vincit,
Né non sufficiat tarda Camæna sequi.
Ars hæc est Procerum, rivo non æquore toto,
Ingenijs laudes insinuasse suas.
Ne si majori fastis se gurgite fundant,
Obruat indociles, naufraga fama rates.
Plùs imò meriti est, quàm quis sibi spondeat Heros,
Per minimos varij muneris isse gradus.
Tutior Annibalis, per fracta cacumina miles,
Quàm fictâ in cælos, Icarus ivit ave.
Præcipiti nimium, quem sors conamine tollit,
Dura magis dici, quem speciosa potest.

Nam

Nam quibus invitat, perimit nos lubrica donis,
Dum retrò ſubvectam raptat in ima rotam.
Nec benè, nec tutum eſt, ipſos percurrere colles,
Proſperiùs tritis itur in alta vijs.
Eſt quædam levitas ſaltu majore gradiri,
Tardius evinci culmina magna volunt.
Quos dabit effectus, ſi præcoce cauſa calore,
Ante ſuum tempus, germen inane ferat.
Quid pyrus, aût botri violento murice tincti?
Quidvé recens nimio eſt, ſidere cocta Ceres?
Nec ſapit ut decuit, nec moles juſta tenetur,
Quæ duo maturis fructibus eſſe ſolent.
Quidquid habet magni, lento natura labore,
Perficit è celeri ſolus abortus ope eſt.
Sæcula præterabit quercus, quam languidus humor,
Anguſtisq; fovet parca medulla poris.

Hoc ſolidum natura cupit, quod ſedula format.

Hæc igitur noſtro Comiti mens, alta petendi,
Officio nullos præterijſſe gradus.
Cujus avis par eſt animus, frons apta regendo,
Canonicos faſces, primaq; vota ſubit.
Et quamvis valeat celſas implere curules,
Exercet meritis infima jura ſuis.
Certior, hinc quodvis evincere culmen & augem,
Vnde ſuis potior dotibus aula patet.

Non

Non benè fert id honor, qui jam sua munia novit,
Cogitur ad nutus, sed tamen ire suos.

ELEGIA XII.

Palatini Proceres.

OTTO Comes à DENHOFF, Palatinus Derpatensis. Primus in Livonia, Illustrissimorum Comitum à DENHOFF Parens.

Magnum Reipublicæ vectigal, sanguis Aboriginum.

CLassica pro verbis, pro penna, militis alas,
Laudibus Ottonis Martia Clio paret.
Atra decet Laribus clausos, nisi sepia Cives.
Et quibus in Patrio gloria tota foco est.
Militiæ cupidis, vel Thrax, vel manat Araxes,
In fastos venâ nobiliore cruor.
Indicat Heroem, frons necdum libera ferro,
Ipseq; vult Parius ducere bella lapis.
Attinet exertos marmor fatale lacertos,
Nunc quoq; qui sævo grande minantur onus.
Est acies, facies, quam barbarus horreat omnis,
Praxitelis vivum dixeris illud opus.
Hoc Comites nati, primo posuêre Parenti,
In specimen famæ, marmor herile suæ.

Ad patrios vitã ducere, turpe focos.

Hoc Procerum studijs colitur, sertisq; Gradivi,
Augurium quodvis hinc sibi format Eques.
Ec quis in agentem rejectus, putruit orbem?
Aût quâ nat calidis decolor Indus aquis,
Quem sic occiduus sepelivit in æquore Tytan?
Ac oriens nunquam tangere flamma potest?
Qui uon laurigeros, Ottonis scire labores,
Notitiamq; suæ gentis habere volet?

Non satis est Patrio Mavortia pectora cælo.
Extendi quibus est jus in utrumq; globum.
Nec Scythicâ glacie, nec adustis sole colonis.
Sistitur armigerj fama timenda viri.
Vivere qui regnis, & non sibi postulat ipsi,
Adstringi nullâ sæpe, soloq; potest.

Pellæo juveni, fertur nimis arcta fuisse,
Patria, cûi totus vix satis orbis erat.
Sed quia plùs laudis, quàm ferro vincere famâ,
Cùm sit avaritiæ, plurima velle nota.
Hinc reor Otto Comes Lechicæ plùs præstitit Arcto,
Quod Patriam sertis, omnia laude replet.
Sic belli meritis Livones fæcundat arenas,
Vt premat adverso quælibet arma metu.
Seu rigor Odrysius terram, seu frigora cælum
Defendant, hyemes edomat atq; Getas.

Seu

Seu regio ſterilis, ſeu pinguior obtigit armis,
Nec luxu frangi, nec tulit velle fame.
Pacis ut armorum ſtudijs æqualiter ardens,
Conſilio mentem munijt, enſe latus.
Quando togæ placitis, voluit civiliùs uti,
Alter ab ingenij munere Conſus erat;
Cùm peterent validas hoſtilia tela cohortes,
Hæmonio meliùs reſtitit ille ſago,
Palladis haſtatæ doctus, pugil ore, manuq́;,
Hoſtibus, ac regni conſeruiſſe malis.
Plùs tamen his, magno Procerum cum ſanguine donat
Cùm generat Patriæ lumina celſa ſuæ.
Spes juvat auctorem, nec tantùm ſanguinis alti,
Quantùm animi felix dicitur eſſe Parens.

Bellaces animæ Regnorum maxima lucra.

Cætera ſi deſint, auro, gemmisq́;, bonisq́;,
Eſt potior clarâ fertilitate Domûs.
Nobile vectigal, ſunt Martia pignora regnis,
Splendidior populo, quàm nitet ære thronus.
Roma magis Curios inopes, quàm munera Galbæ,
Æſtimat argentum, gens numeroſa præit.
Tercentum Fabij Latio, quæ gloria Marti?
Optarent ſimiles nunc ſibi regna Fabas.
Sed ſatis, & noſtræ virtus fæcunda Parente eſt,
Qui Fabios Lechiæ, Scipiadasq́; dedit.

Livonicos nobis æterno fœdere Cives,
Adstringens graviùs sustulit inde jugum.
Namq; priùs servi, nunc libertate beati,
Vnum cum Lechis vivere corpus amant.
Ipse manum propriam, firmis superaddidit actis,
Atq; feros docuit mitiùs ire viros.
Viderat Augustus, quali Comes Otto favore,
Regibus immensas accumularet opes,
Hasq; Palatino distinguens murice curas,
Derpaticis jussit Patribus esse Ducem:
Qui tumidas palmis, vicinæ Baltidos undas,
Sarmaticos famæ messe, replevit agros.
Illius Eoi Reges, in sanguine vivunt:
Franconicos Lechis miscuit ille Duces.

ELEGIA XIII.

THEODORUS Comes à DENHOFF, Palatinus Vendensis, Frater OTTONIS, Proavus Illustrissimi Ensiferi Regni, Campiducis Lithuaniæ.

Procerum fides, coronarum tranquillitas.

ALter Livonicæ quondam, spes certa salutis,
Eximiam Musis fert Theodorus opem.

Nevè

Nevé quid inferiùs, quàm res gravis imperat, edant,
Summa ſatis magni tangere ſerta viri.
Perpetuis animi vires exercuit armis,
Lingua capilloſô bella trahente Gotho.
Perq́ tot hoſtiles aquilis victricibus enſes
Exijt, imperium quot Boreale dedit.
Senſerat Alcides Lechicus, quid Theſea virtus,
Poſſet in adverſos robore juncta Duces.
Phyllirius non ſic Theſium director Achillem,
Inſtituit Grais ſpemq́, metumq́ thronis.
Non Macetûm Regi conformis Ephæſtio tantam,
Dicitur in caſtris exhibuiſſe fidem.
Quantam Sarmaticæ Theodorus præſtitit aulæ,
In Vladiſlai Moſchica regna comes.
Detulit edomitum ſeptemtriô Roſius orbem,
Sub Iagellonidis ſceptra vetuſta Domus.
Gens alias facilis, minimâ levitate moveri,
Civibus, ac rigido vix adeunda ſitu.
Ad Tanaim laxis Aſiæ porrecta colonis,
Caſpia dat fines, quàm Scytha potat aqua,
Iſter ab Odryſio cohibet ſua regna Tyramis,
Sarmatiam rapidus diſſecat amne Tyras.
Hæc Lechico graviter tellus agitata Gradivo,
Sub Iagellonij tranſijt arma Ducis.

Nam cùi par nequijt belli committere robur,
Debuit in Regem poſcere victa ſuum.
Sed feritas placidi metuens conſortia ſceptri,
Mitiùs excuſſit, quod tulit ante jugum.
Rex memor eſſe ſui juris, quem vicerat orbem,
Sarmatico rursùs milite ſeptus adeſt.
Nec priùs exceſſit, quàm Moſchica Regna cruento,
Marte, feram gentem cædibus ultus erat.
Quem Comes è Regno Theodorus in arma ſecutus,
Conſilijs ſolium juverat, atq; manu.
Sicq; Ducem belli, propè milite promptior egit,
Vt nunc usq; ſuam comprobet aula fidem.

Civis amor, meliùs Regnū quā mœnia ſit mat,

Præſidium meliùs Civiles inter amores,
Quám præſtant Dominis, ſæva quod arma ſuis.
Nobile cor Procerum, quàm mænia tutior arx eſt,
Quo benè Majeſtas intemerata fugit.
Sive truces Dacos, ſeu perfida Bactra laceſſet,
Officio florens purpura Civis erit.
In medijs radiat tranquilla potentia caſtris,
Excubias pro quâ, Civicus enſis agit.
Quodſi deficiant perituræ commodæ vitæ,
Regius in charo pectore vivet amor.
Hâc Vladiſlao, Denhoff ſe laude probavit;
Qui ſenio ſceptris, ſervijt usq; ſuo.

Opta-

Optabat tantum quævis ſibi gloria Civem,
Martius exegit præmia magna labor.
Ille ſuos Livones, nil gratiùs ambÿt extra,
Venda Palatinæ, cûi dedit aſtra Togæ.
Nominis arte ſui, quod Slavis dicitur hamus,
Et piſcata probum eſt, hunc ſibi Venda Ducem.
Quo tunc lætus Eques? quo geſtÿt omine Civis?
Vendenſis, quales Vrbs reſeravit opes?
Quot fora? quot felix vernabat Curia ſertis?
Quando Palatinis faſcibus auctus ÿt?
Ille manu capulum ſtringens, teſtantibus aris,
Legibus, & fidei voverat arma ſuæ.

ELEGIA XIV.
GASPAR Comes à DENHOFF, THEODORI I. Filius, Palatinus Siradiæ, S. R. I. Princeps.

Intereſt Proceribus Regni, Auguſta Principibus inveſtigare conſortia.

MAximus hoc Regni cum Nomine Cardo move-(tur,
Atq; ſuâ Muſas nobilitate premit.
Sarmaticæ grandis, quo venit, portitor aulæ,
Os & cor gemini Regis, utrumq; ferens.

Sive

Sive Sigismundum, Geticos animavit in ortus.
Sive Vladislai mitia jussa tulit.
Illi barbaricos suadâ victrice triumphos,
Mollia Cimbrorum corda subegit huic.
Sancyt eloquio socialis fœdera lecti,
Austriacas inter Sarmaticasq; Domos.
Ore potens, quod sæpè thronis plùs præstitit ense,
Cæsareo Lechicos sanguine tinxit Avos.
Rem qua nil Patrijs potuit contingere rebus,
Regnorum summo præbuit ille bono.
Namq; Vladislao Theutonide Conjuge ductâ,
Æternum sceptris fixit utrisq; jubar.
Suave quidem dictu, sed si modo penditur ingens,
Est hoc Patritiæ dexteritatis onus.

Illustrât Regnum tædæ Regalis Hymenis.

Nempè, quid utiliùs dignâ consorte coronis?
Regius inde solet sanguis habere locus.
Cura, quid est meliùs regno, Civilia vota,
Quid sit honestati suasile, prima tenet.
At nihil expediens claræ magis æstimo Genti,
Quàm faustus quoties sceptra ligavit Hymen,
Assurgunt celebres tædis illustribus aulæ,
Connubijs magni stantq;, vigentq; throni.
Iliacum reparat conjux Lavinia Regnum,
Exulis Æneæ res bona facta toro.

Quid

Quid, quod & auguſtos dulci debemus Hymæni,
Quos fovet Hæredes, regia quæq; ſibi.
Vulgus amicitias auro, metitur & agris.
Principibus proles, ſola corona ſua eſt.
Ipſe favor generis, ſi cenſus, regnaq; deſint,
Ipſe probi multum ſanguinis inſtat amor.
Quanta Palatinos hinc Gaſparis auxit honores,
Gloria? quem tædis applicat aula ſuis.
Nil puto, purpureos cùm devinxiſſet amores,
Chariùs Imperio, Sarmatiæq; fuit.
Nil Vladiſlao potiùs conſorte Renatâ,
Has Denhoff Lechiæ fert Paranymphus opes.
At ſimul, ut ſolijs thalamos, & fædera ſanxit,
Demeruit Reges mox ab utrinq; ſibi.
Imperij Princeps à magno Cæſare ſcriptus,
Virtutis pretium ſenſit id eſſe ſuæ.
Iudice quis tanto, non ſe meruiſſe probaret?
Quis titulos meliùs, donaq; tanta tulit?
Rarior hæc Phænix, pereunt ſine laude labores,
Ex aulis virtus incomitata redit.
Sed quædam ſolijs etiam renuentibus in vim,
Exigit officij præmia certa ſui.
Cujus erat Princeps, Gaſpar virtutis & auctor,
Non petijt munus, ferre quod aptus erat.

Emeritos raro præmiat aula viros.

Hoc decus in ſeros voluit manare Nepotes,
Denhoffijs hæres purpura ſervit avis.
Faſcibus externis, vernacula ſidera junxit,
In Vladiſlai primus amore Comes;
Delicias Regi placidâ cum conjuge ducens,
Ipſe cor Auguſti deliciæq; fuit.
Fortunæ Dominus nil lubrica Numina pavit,
Firmus, in orbe licet jam titubante Deâ.
In caſtris Hector, voluit dum Curia Neſtor,
Iura Senatoris, par tulit atq; Ducis.
Æquè Biſthonios animoſus ferre Tyrannos,
Ac ſuavi populum conciliare ſtylo.

ELEGIA XV.

GERARDUS Comes à DENHOFF, Palatinus Pomeraniæ, THEODORI I. Filius, Avus Illuſtriſſimi Enſiferi Regni, Campiducis Lithuaniæ.

Illuſtres Aboriginum Ceræ, connubiálibus tædis, in ſidera Regnorum accenduntur.

QVæ mihi de celſo, manat proba ſanguine virtus,
Vltra Pierios eſt referenda choros,
Nam quod inacceſſum caſtris, quod laude ſuperbum,
Id facili noſter præbet honore Comes. Vn-

Unde seu Mavors cytharam, seu cynthius hastam,
Sumat, ut armatis laudibus apta sonet.
Digniùs ad nostras nil orbis detulit aures,
Illo quem Gothicus, Mars Geticusq; pavent.
Ante meos oculos decertat imagine vivâ,
Funeris expertem quem sua fama jubet?
Qualis in Arctoos exarserat ille Tyrannos,
Quanto Dux animo, Suetica bella tulit.
Stant propè, præsentes ferri Borealis acervi,
Quos exarmato fixerat ille Gotho.
Sæpe Thorunenses memorant ea prælia Cives,
Et toties renovant Civica serta Duci.
Sæpe triumphali resplendet Prussia vultu,
Cùm grata regerit, parta trophæa fide.
Namq; Sueon rigidis, ubi cinxit mœnia castris,
Et sparso trepidos terruit igne Lares.
Fulminibus crebris, tormentorumq; procellâ,
Eripuit totam, cive pavente diem.
Affuit obsessæ, bello Comes arduus Urbi,
Indomitoq; feros contudit ense Goxos.
Tunc urbs ingenti fuerat, quæ preßâ ruinâ,
Hostibus invisam læta recepit opem.
Decocti lateres, Sueco rubuêre cruore,
Aucta Torunensis curia flore novo.

Fulminis in morem Prīcipis ira ruit.

Fulmineæ Ducibus dùm res petit ardua vires,
Alite mens, omni promptior esse solet.
Anticipant tonitru, feriunt dum fulmina colles,
Occupat hostiles vis generosa vias.
Quo minùs expectat, subito percellitur ictu,
Hostis ubi longas corripit ira moras.
Hæc fuit ars belli, memorandaq; cura Gebardo,
Hostiles animos, anteijsse suis.
Bellonæ facibus, majores lumine tædas,
Martis & Idalij victor amoris habet.

Accēdit lucē fax hymæ-næa thrēnis.

His radiant solis, æternæ Nomina famæ,
Tædarum dives semper habetur honor.
Æneæ majus peperit Lavinia sidus,
Quam dederat Graijs Troja flamma viris.
Patritiæ, quamvis innato lumine ceræ,
Plus tamen externo, deforis igne nitent.
Ut si flammivomæ jungatur Vesuvus Ætnæ.
Aût Lyparæ, tellus Hypsipylæa, focis.
Ut si Phæbæis, Lunæ sociaveris ignes,
Sidere nobilior lux ab utroq; foret.
Tanta Palatinus spargebat lumina terris,
Tædarum tanto sidere fulsit hymen.
Hinc in Opalinia fortunam vexerat Argo,
Numine connubijs velificante suis.

Inde

Inde Ducum Brigæ, regali ſanguine clarus,
Intulit auguſto ſceptra, thronosq; thoro.
Electorali radiantem murice Neptem,
Archiducum florem, Cæſareæq; domûs,
Principibus genitum mitris, quæ gigneret olim,
Regna, ſuis junxit non minor Author avis.
Sic Europæos, uno ſibi fædere Reges
Strinxerat, an meliùs quis nituiſſe volet?

ELEGIA XVI.

ERNESTUS Comes à DENHOFF, THEODORI I. Filius, Palatinus Parnavienſis.

Regum & Reipublicæ ſtatum, ex inſignibus Miniſtrorum Regni dotibus, exoticus orbis æſtimat.

COngere quos unquam ceciniſti Muſa triumphos,
Si dare plùs Comiti, quàm dedit ipſe, potes.
Totus enim meritâ veſtitum fronde Corymbi,
Poſtulat illius mundus habere caput.
Illius excultâ duci ratione, manuq;,
Vivere conſilijs, illius Arctos amat.
Nil petit ullus honor, nil exigit ulla curulis,
Quàm tanto ſemper Numine poſſè regi.
Os gravis eloquij, doctæ faſtigia mentis,
Attonitos orbis detinuêre thronos.

Eloquio Denhoff, discordes fœderat hostes.

Quod Boreale gelu, quod Balthis Suetica nutrit,
Ad Denhoffiaci Nominis astra fluit.
Namq; priùs forti bellorum robore fractos,
Dicitur arbitrio, composuisse suo.
Vt ferro, validas Sueonum rumpendo phalanges,
Sic pacem svadens, dux fuit ore potens.
Ambrosias, aloenq; labro propé fudit eodem,
Suavis, & hâc justo tempore voce minax.
Mitis in afflictos, in atroces ferreus hostes,
Lenijt alternâ, terrueratq; vice.

Prodest eloquiũ, paci bellisq; stra-regi.

Hoc decet ingenium, quibus ars est summa loquen- (di
Alterutro studio, posse valere Duces.
Lentius in crudos, nè vox gravis irritet hostes,
Seriùs in fractos detepuisse licet.
Pacis opes & bella simul, jactabat eodem,
Se Latius quondam Scipio ferre sinu.
Cæsar ut eloquio felix, sic Marte severus,
Ex utroq; pari laude, trophæa tulit.
Quâ læsit Thetius tulerat medicamen Achilles
Cuspide, quæ Myso ruperat ossa Duci.
Hæc vis Ernesto fuerat moderata loquenti,
Vicerat, & victum juverat ore Gothum.
Mox alias, aliasq; suæ certamine svadæ,
Orator, Regum, perculit ille domos.

Gallica

Gallicæ permovit Lechiæ benè ſceptra vovere,
Alcides dici, Gallicus inde queat.
Threïjcias terſis, ita vinxit ſenſibus aulas,
Orpheus ut poſſit Thracius ipſe cani.
Imperio ſocios ita linguæ munere vires,
Cêu Latius ſuaſit, Tullius ille foret.
Dotibus è magnis, tanti fortuna Miniſtri,
Regnaq; noſtra ſuum ſumere viſa jubar.
Scilicet imperij ſtatus, & proba ſorma regendi,
Emicat in doctis, colligiturq; viris.
Senſerunt Tyriæ, quam ſint fortiſſima Thebæ.
Robora Græcorum, quod fuit Argos opus.
Tydeus ut fortis, retulit mandata ſenatûs,
Et linguæ vires, auxerat arte manûs.
Unicus Æmathiæ circumtulit aſtra coronæ,
Suadâ Cyneas, conſilioq; bonus.
Exhibet Heroum virtus, quæ gloria gentis,
Quo ſua militiæ robore ſceptra vigent.
Non ego ſat molli par ſum depromere verſu,
Quod decus externo fulſit in orbe Comes?
Quàm bellè Regum Majeſtas floruit illo?
Quod pretium noſtris, addidit ore Lechis?
Tanta Palatino recreari murice virtus,
Debuit, authorem concomitata ſuum.

Optimus ille regẽs in quo ſapiẽtia regnat.

Vnde

Vnde Ducum grandes illi Parnavia fasces,
Purpuream Princeps detulit aula togam.
Vt tales placidus donet, non auferat æther,
Sarmatiæ Proceres, castra throniq́; petant.

ELEGIA XVII.

ERNESTUS II. Comes à DENHOFF, ERNESTI I. Filius, Palatinus Mariæburgensis.

Procerum purpuras magis hostilis cruor, quàm Tyrius murex commendat.

UMbrifer occiduo, quâ præsidet Hesperus orbi,
Aurea vocali quâ tumet ære Rhodus.
Quâ Zephyrus tepidis imprægnat jugera ventis,
Vinctaq́; Threïcio stant Aquilone freta.
Vngula, quo fessi Pyroentis vix venit unquam,
Quo metuunt rutilæ solis adire rotæ.
Illuc Denhoffiæ celeravit gloria laurûs,
Vltima rema minax laudibus implet Apes.
Clara Palatinæ radiarunt sidera famæ,
Cimmerios inter, Massagetasq́; Duces.
Arserat Ernesti, metuendâ luce Gradivus,
Quâ vix nota dies, vix fuit aura Noti.
Nil fere barbariùs Scythiâ feritate putarem,
Quæ magis epoto cruda ferocit equo.

Hanc

Hanc Comes, invicti domuit virtute lacerti,
Sed miti pressit colla subacta jugo,
Nil magis effuso levius reor esse Gelono,
Qui solet Æolidas antevenire leves.
Hunc celer, & victor Denhoffius occupat ensis,
Omneq; ne fugiat, cædibus opplet iter.
Dulichius ventos in utrem collegit Vlysses,
Captivum subigens in sua vota pecus.
Vis erat hæc grandis, sed par erit ista volucres,
Cladibus innumeris attinuisse Scythas.
Quod Thracum miseras hucusq; Kałussia strages,
Sectaq; ruricolis exhibet ossa palus!
Quot Chocimum nimio mundi plaga sanguine pinguis,
Ostentat tumulus tristia fata Getes;
Quot nece Sauromathos memorabilis ora Zorauni,
Funera Denhoffidùm certa trophæa refert.
Quàm vigil in castris fuerit, quàm cautus in armis,
Indicat Vrbs Lechico nomine dicta Gruum.
Thracibus & Dacis Regni de limite pulsis,
Provocat ingentes ex oriente manus.
Theutonicas Asiæ furor, obvallaverat arces,
Pæneq;, cor populi, capta Vienna fuit.
Barbara Pannonicæ tolerabant vulnera vites,
Et lachrymas, musti sæpe dedêre loco.

Omnia vel ferro, vel Thrax invaſerat igne,
Nullus tunc rerum, qui fuit ante color.
Sed vix Sarmaticus victricia ſigna Gradivus,
Explicuit, profugo Thracia verſa pede.
Annibal Ænotriæ ſic formidabilis Vrbi,
In clades Phrygiæ tantus Achilles erat;
Quantus in Odryſias Erneſtus moverat Arces,
Externi ductor militis atq; ſui.
Tunc meliùs, pulsâ telorum nube ſerenum,
Vidit & incolumes Auſtria tuta dies.
Tunc ſibi Denhoffio plures de ſanguine Cæſar,
Optabat Thracum fulmina magna viros.
Optimus eſt murex, quo purpura tingitur omnis,
Quem dedit hoſtilis, per ſua fata cruor.
Non ita Sidonio regalia vellera tabo,
Sanguine quam Getico pota lacerna decet.
Quod manus artificis, paſſim viliſſima tingit,
Neſcio, cur tanti tegmen honoris erit?
At quod ab exuvijs Alcides ferre Leonum,
Quod ſuevit Tydeus, plùs puto laudis habet.
Illa manus ſceptris, & divite clarior auro,
Qua ferrum, multo ſanguine tincta, tulit.

Pulchrior eſt murex, hoſtili ſanguine tinctus.

ELE-

ELEGIA XVIII.

VLADISLAUS Comes à DENHOFF, Filius GERARDI, Palatinus Pomeraniæ, Auguſtus Parens, Auguſti Filij Illuſtriſſimi Enſiferi Regni, & Campiducis Lithuaniæ.

Illi demum Proceres immortali gloriæ vivunt, qui pro Patriæ emolumento moriuntur.

HÆc ego nunc memori, quæ Mars adamãte recepit
Hæc ego quæ ſculpſit Thracias haſta canam.
Impar Caſtaliæ liquor eſt, Heroibus undæ,
Nobiliùs Getico vena cruore tumet.
Hinc Vladiſlai nullas amat ignea virtus,
Præter eas laurus, quas dat arena ſibi.
Nulla caput vindex, niſi bellica ſerta coronant,
Phæbæâ cingi Virgine mollis honor.
Nos quoq́, Sarmaticum genus, illis tangimur aſtris,
Quæ Vladiſlai ſunt, ea ſerta Lechi.
Nos quod is obtinuit, profuſo ſanguine Nomen,
Protegit illius ſceptra juvantur ope.
Gloria belligeræ quam dextera ſufficit aulæ,
Communi ſuevit ſæpe venire bono.
Non ſibi, ſed regno decertat quilibet Heros,
Privati Procerum nil habet ulla Domus.

Pierius minimè par eſt Heroibꝰ amnis.

Omnis bellator, communia commoda ſpectat.

Mars tibi de nostris cedat proba gratia votis,
Qui retines clypeo, sculpta trophæa tuo.
Hinc ego transcribo, quæ bella? quid egerit usquam!
Quàm gravis Æmonios fregerit ille Duces.
Hic patet Odrysijs acies onerata Tyrannis,
Innumeras Sueonum sustinet Vmbo manus.
Quæq; fovet belli furtis, vitiosa Propontis,
Agmina, quæ nutrit Taurica damna palus.
Tu mihi Mars recita, quali certamine Dacos,
Quali contuderit Moschica regna sago;
Et quibus erubuit maculatus cædibus Ister.
Quas vexit pavido rusticus amne Tyras.
Dalmata quot palmas illi, quot contulit Hunnus,
Bistonius quali fronte Planeta stetit?
Cùm sua victrici truncavit cornua ferro,
Ac ortum docuit funera longâ pati.
Quàm citus obsessæ, porrexerat arma Viennæ,
Cùm premeret Geticus mænia clausa furor.
Nam Vladislaus prout Hercule Theseus audax,
Sarmatiæ Domino, Dux sociatus erat.
Numinis ille favor fuerat, quod Lechia tantos
Gigneret, Imperij commoditate Duces.
Obruta Barbaries telis, emota pavore,
Integra Sarmaticis castra relicta viris.

At

At Thrax innumeras deplorans Cynthia mortes,
Roratis visa est exululasse genis.
Hinc ubi Pannonicas sese collegit in arces,
Saxaq; pro signis, undiq; tuta stitit.
Strigonij latitans, ubi muri mole sepulta est,
Horruit armatos deforis ægra Lechos.
Nil Vladislaus rigido de Marte remisit,
Assiduâ florens, victor ubiq; nece.
Crevit & hostilis, de nostro robore virtus,
Extremâq; magis noxia, parte fuit.
Hic Comes, ejectis dum non sat profuit hastis,
Et gladius, per tot vulnera factus hebes;
Vtitur in telum se solo, densaq; Thracum,
Prostrato moriens corpore signa premit.
Hocq; quod abscidit, rectum Caput impius ensis,
Explosi fertur more volasse globi.
Ipse animus bellax, nisi multâ strage triumphans,
Sidereas arces, non obiturus, inîjt.
Pro tot Barbaricis, satis unum cædibus ortûs,
Solvendo fuerat, prævaluitq; Caput.
Aris & Patriæ submittens colla saluti,
Purpureus gemino murice, Martyr erat.
Hæc nisi cælestes commendat purpura Manes,
Vult Dominos regni, quos DEUS esse sui.

Sancta Ducũ minimè deletur gloria fatis

Unde Duces ſanctos licet improba fata laceſſant,
Attamen extingvunt diminuuntvè nihil.
Nam mors ipſa probis, melioris ſemita vitæ eſt,
Denſior ut grano fit moriente ſeges.
Pulchrior è veteri Phænix volat aurea buſto.
Cûi gelidus vitæ eſt, proxima cauſa cinis.
Quo magis auguſto belli de pvlvere mentes,
Accendent meriti ſidera magna ſui.
Quæ nimis anguſto ſtringi ſe pectore queſtæ,
Vulnus amant portæ, laxius eſſe loco.
Sic per aperta volunt, velut oſtia vulnera celos,
Purpurei Manes introijſſe Polos.
Sic Vladiſlai ſolijs par, ſpiritus exit;
Porta triumphalis, nobile vulnus erat.
Sed mox ulturus cineres, & fata Parentis,
Annibal ad portam jam ſtat, & arma capit.
Iam ciet ingenti Litavos in prælia clavâ.
Otthomanis pœnas, mox ſibi porta luet.
Mox igni, ferroq; minax luſtrabitur Othrys,
Dux Staniſlaus jam ſua ſigna movet.

ELE-

ELEGIA XIX.

HENRICUS III. Comes à DONHOFF, Filius ERNESTI I. Palatinus Parnavienſis.

Procerum animæ, ut magni montes cadendo, ingentes trahunt ruinas.

TErtius in faſtis, ſed primos faſcibus æquat,
Non minor Henricus ſpe præeunte domûs.
Patritium nomen, claris virtutibus implet,
Ingeniumné ſuâ nobilitate priùs ?
An Mars ingenio? niſi triplex gratia totum,
Adſtipulans numero nominis, ornet opus.
Cultus & inſignis bello, gentisq; vetuſtæ,
Hæc tria conciliat munera, trina Charis.
Vltimus in terris Livonum, poſt Numina magna,
Ferre Palatinam ſuſtinet ipſe togam.
Nam tot Denhoffiæ laudum, Livo non memor aulæ,
Illius & Lechici ſpreverat arma throni.
Sive levis protunc, fuit inconſtantia vulgi,
Sive feri mores, hæreſeosq; ſcelus.
Quæ quod amat tentat, cûi quod placet, omne licebit,
Inſanâ quodvis plebe ſequente malum.
Turpe quidem vitium, (ſed ſtirps exoſa ſalutem
Quid curat ?) vomitus retrò bibiſſe ſuos.

Reſpu-

Reſpuerat lucos, damnataq; Numina Livo,
Vnum Meînbardo, nactus agente Deum.
Serviles Procerum priùs, aſpernatus habenas,
Libera Denhoffiâ jura recepit ope.
Sed quæ mancipijs fuerat genitoribus orta,
Accivit Regio rursùs, herile jugum.
Quam genus ex Erebo, primis nutrivit ab annis,
Hæreſeos miſeram rursùs, adorſa ſtygem.
Hinc in mite Lechi, ſemperq; faventiùs Aris,
Imperium movit vim ſcelerata manus.
Sub juga mox Sueonum cum multis urbibus ivit,
Ingenitæ vulgus mobilitatis amans.
Et jam Sarmaticis fato graviore Monarchis,
Raptus in errorum ſe Livo caſtra dedit.
Obſtitit Henricus, partaq; Parentibus urbe,
Non priùs, ac vitâ Ductor abire tulit.
Sicq; Palatinam poſſederat ultimus aulam,
Nec titulo cedens, nec Regione Gothis.
Illius occubitu, pleno ſimul omnia jure,
Ceſſerunt hoſti, ceſſit avitus honor.

Profperitas regni moritur moriẽte, Monarcha.

Cum fatis Procerum, quos Regnis invida tollunt,
Exitium Patriæ, proſperitatis adeſt.
Purpureæ mentes, æquali mentibus ortu,
Plurima Regna, ſuâ mole cadendo premunt.

Nil

Nil facit afflictam, sine luctûs limite gentem,
Quàm jactura probi, quo stetit illa Ducis.
Nominis ipse decor, si cætera lumina desint,
Præsidio lætis civibus esse solet.
Pellæi, Macedo, famâ florebat Alumni,
Cujus ad interitum, corruit omne decus.
Viveret Iliacis si longius Hector in armis,
Staret adhuc pulchro Dardana flore domus.
Sarmaticum colerent Livones, hucusq; Senatum,
Si brevis Henrico, non ita vita foret.
Attamen æternam parit illi gloria lucem,
Virtutis pretium ponderat aula suæ.
Cura, quid illius Lechicis impenderit oris?
Quæ fuerit solijs intemerata fides?
Fortunas quali Patrias effudit amore,
In commune Lecho deficiente bonum?
Fama refert, gratæ tantis pro dotibus Arcto,
Supremumq; negat Nominis esse diem.

Gran e premit Patriā civis jactura probati.

ELEGIA XX.

CASTELLANI PROCERES.

CHRISTOPHORUS Comes à DENHOFF, Castellanus Vitepscensis, Filius ERNESTI.

Eximijs Procerum moribus debita sunt præmia, & virtus incomitata fascibus, languescit.

Q*Vanta paludatos hinc ambit gloria fasces,*
Exuberent claris quod proba regna viris?

Sceptrigeræ munus, credo Iunonis id esse,
Quæ donat gravidos fertilitate sinus.
Cerne quis Æaciæ, dum præterit Æacus, urnæ?
Quis solijs rapto judice mansit honor?
Purpureo floret Tarpeja sella Catone,
Rostra ferunt laudes à Cicerone suas.
Mox ubi ferales telam secuêre sorores,
Nec rostris honor est, nec sacra sella viget.
Lugent eximio viduatæ cive Curules,
Vnde sui pondus grande decoris erat.
Quid Denhoffiacis debebunt culmina ceris?
Quos trabeæ census sceptra, togæq; dabunt?
Quæ tot sufficiunt generosi sanguinis astra,
Quot titulos, & opes Lechicus orbis alit.
Vidimus in solijs in sancta vidimus urbe,
Quosq; Palatinæ spes tenuêre Duces.
Quanta Tyaratos Denhoffia Nomina fasces,
Quanta repleverunt, vidimus astra forum.
Nunc Castellani Witepscia purpura juris,
Christophori Dominos volvitur ante pedes.
Si mihi, quæ, præsens faciat, tunc diceret ætas,
Quo stetit hic Heros sortis, opumq; loco?
Quo fortuna suos pretio dignata favores,
Sed semper magnis dotibus illa minor.

Quàm

Quàm benè Palladijs, né quis praecederet unquam,
Indulsit studio nobiliore libris.
Idq; bono Patriae, cûi vires detulit omnes,
Né sua res doctâ destituatur ope.
Non etenim nobis Patrio, sed nascimur orbi,
Id minimum, quod nos vivimus esse solet.
Maxima pars vitæ civiles servit ad usus,
Plùs vixit, qui plùs ferre laboris amat.
Communis scimus, quod lactet Patria Cives,
Communes ad onus gaudet habere manus.
Balthica quis meliùs contraxit carbasa Sueco?
In medijs Denhoff Martius arsit aquis.
Vnde pati Lechicas didicit Septemtrio flammas,
Et multum caluit conglaciata Thetis.
Scilicet ut terris, Thetiæ sic montibus Vndæ,
Denhofij fuerat dens metuendus Apri.
Eruit ex imò quæcunq; trophæa profundo,
Cûi clypei speciem Martia seta dedit.
Castrenses animos, sibi Castellana curulis,
Traxit, & Æmonium purpura clara sagum.
Indignum siquidem, meritas sine munere laurus,
Absq; suo vires incaluisse lytro.
Invitant alacres Regum nova præmia dextras,
Ad quævis belli perpetienda mala.

Non sibi sed Patriæ decet omnem vivere civem.

Præmia qui sperat, susti net omne malum.

At ſine conſpicuo virtus langueſcit honore,
Ut vires eſcâ deficiente cadunt.
Noricus enſis amat, Pactoli flumine tingi,
Exacui Macedo, Perſide cote chalybs.

ELEGIA XXI.

FRANCISCUS Comes à DENHOFF, Caſtellanus Derpatenſis, S. R. I. Princeps, Severiſſimi in crimina judicij.

Æquæ Pater Patriæ eſt, qui plectit noxios, ac qui amplectitur innoxios Cives.

COllige laurigeras victrix Aſtræa coronas,
Et de criminibus quæ tibi ſerta virent.
Hic quem ſemper amet ſervato curia jure,
Laudibus accedit gloria ſumma tuis.
Seu revoces faciem gravis in peccata rigoris,
Acriùs hæc quævis in mala fulmen erat.
Seu caput excultâ pollens ratione Minervæ,
Contribuet capiti laurea quæq; ſuo.
Vix eſt, quæ certos hoc judice cauſa triumphos,
Non tulit officio noxa ſubacta gravi.
O quoties læto ſonuit Petricovia plauſu,
Quando ſuum judex terruit enſe forum!

Seu

Seu Castellanâ Franciscus sede niteret,
Sive Palatinas consequeretur opes.
Has dederant magno Dorpatica mœnia censu,
Illam Syradius dignificavít Eques.
Legibus ut Lechicis in se præstaret Asylum,
Vicinâ Themidi vixit in arce sacræ.
Vt dubites meliùs sua né floreret in Viazd,
An in ea Petræ quæ tibi nomen alit.

Arx Uiazdensis proxima Petricoviæ.

Viderat invictum, causisq; nocentibus acrem,
Offensam metuens promeruisse scelus.
Det mihi sed quid id est? æquum Tarpeja Catonem,
Curia; dent rigidos Gnossia regna senes.
Succumbat quævis Comiti sententia nostro,
Iuppiter ipse puto justior esse nequit.
Nulli plùs gemuit pravi petulantia vulgi,
Patritium domuit mulcta severa malum;
Vt verò sceleri durus, sic mollis honesto,
Devinxit rectos ore favente viros.
Dos animi præstans, nec fastidita potestas
Est visum verbis nectar inesse suis.
Quas populo dederat condivit gratia mensas,
Officio victus quilibet hostis erat.
Irus egens nunquam vacuâ cum mente recessit,
Nulli munificas aula negavit opes.

Nescio quem blandi non tangeret area vultus?
Nescio cûi mitis frons inamata foret?
Scilicet ut sævo terrebat crimina ferro,
Sic animo comi pectora recta tulit.

Patrem se Patriæ dicat, qui crimina plectit.

Noxia qui justis cohibet conamina pœnis,
Cùm jus exposcit litigiosa Themis;
Æquè, cêu charos profuso sanguine Cives
Servaret, Patriæ dicitur esse Pater.
Ut nimis est durus, qui leni vulnera palpat,
Non penetrat Chiron asperiore manu.
Ut miser Alcinous, vitiosæ pabula Sylvæ
Si concedat, erit, nullaque poma feret.
Ut pavidus tumido jactabitur æquore Typhis,
Si dabit iratis carbasa laxa Notis.
Perdita sic celeri, qui non ratione coercet
Crimina, spem Patriæ mergit, opemque suæ.
Obtinet has laudes, æquè crudelis in illos
Quos odit pietas, ac bonus ipse bonis.
Blandus, & effusæ mentis dum gaudia poscunt,
Dum res est pejor, fronte minace Comes.
Talibus est semper felix respublica sertis,
Hos vult, qui tolerent pondus utrumque Duces.

ELE-

ELEGIA XXII.

Castellanis Proceribus.

SIGISMUNDUS Comes à DENHOFF, Castellanus Siradiensis, S. R. I. Princeps.

Optimi Civis est, pro amore Patriæ & libertate populi, obsidem dare vitam.

E Loquar? an sileam cantatum nomen in Arcto?
Sed præstat magnum non siluisse bonum?
Grande quidem, sed mitis habet solamina famæ,
Temperat astra suæ molis amatus honor.
Nempe Sigismundum qui dixerit, Hectora dixit,
Augustumq; simul fronte, manuq; pari.
Hostibus immitis, pacati civibus oris,
Munere patritium condit utroq; genus.
Hinc sibi prototypon Eous desumat Apelles,
Vt vivas recti pingat amoris opes.
Puniceis non hic est cura coloribus uti,
Sat sibi pulcher, erunt strenua gesta color.
Nemo reor, meliùs dotes expresserit ullas,
Quàm dos ipsa suis effigiata bonis.
Nemo magis pictum, nativo lumine solem,
Quàm sol ipse sua reddere luce potest.

Nemo potest melius, quàm dos depingere dotes.

Quis

Quis plùs dilexit Patriam? quis dignius auxit,
Quàm qui pro Patria vincula dura tulit?
Est amor hic Patriæ, nullâ pensabilis arte,
Legibus impenso sanguine velle mori.
Sed semel amissa, jam præstitit omnia vitâ,
Et nisi sic unum, qui cadit explet onus.
At qui sponte suâ vinciri compede gaudet,
Ut tutam pacem libera regna ferant.
Quot trahit ille dies, tot tristia fata subivit,
Quantus amor? vicibus tot potuisse mori.
Nam toties misero lethi consumitur ictu,
Vir quoties liber desinit esse probus.

Pulcher amor Patriæ, meritis impendere vitam.

Mortib9 Heroum repetitis Patria vivit.

Tanta Sigismundo servandæ gloria gentis,
In Patriæ fuerat fædera tantus amor,
Hostibus implicitos ut solveret ille Polonos,
Obses pro Regno barbara lora tulit.
Impigra cùm rueret fluctu graviore Mæotis,
Belligeri florem depopulata Lechi,
Ille ferum contra torrentem strenuus ivit,
Et stitit, ut Latius Taurica signa Cocles.
Cum Scythici densis sævirent ictibus arcus,
Mænia cingentes obsidione Zborow.
Ille velut Decius collectis viribus alter,
Objecit iaculis auxiliare caput.

Cùm

Cùm Geticus toto discurreret æquore Pontus,
Innumeras clades, damnaq; mille vehens.
Se tot sustinuit metuendos, aggere fluctus,
Barbaricis Isthmum se dedit ille fretis;
Quando salutares clausis legionibus auras
Vt faceret, cessit pignoris ipse loco.

Verus amor Patriæ per lenta pericula crescit;
Qui si fictus erat, longior esse nequit.

Verus amor Patriæ longo maturior usu.

Detegitur modicis tellus asperſa pruinis,
Innubes aliquid vix caluêre poli.
Durat hyems pelagi, Titan licet igneus ardet,
Quæ longo fuerat conglaciata gelu.
Sic quam fingebas raro est tua gratia constans,
Nec longum durans invenietur amor.
Verus, & ex ipsis amor haurit robora damnis,
Exagitat pectus nulla querela suum.
Hanc stupuêre Scythæ, stupuit fera Taurica mentem,
In Sigismundo pignora nostra tenens.
At reduci cumulat meritos in præmia fasces,
Et multo Comitem murice vestit honor.
Purpureis Princeps portat fortuna carinis,
Quas Ossolinij sanguinis æquor alit.
Os etenim Lechici Dux Ossolinius orbis,
Vinxit eum dignâ mox sibi dote virum.

Sic Princeps nituit cum Principe conjuge Denoffio,
Sic Patris est magni, non minor ipse Gener.

ELEGIA XXIII.

CAROLUS Comes à DONHOFF Castellanus Conariensis Siradiensis, S. R. I. Princeps.
Togâ, an sago protexeris Patriam, æquè decorũ est.

QVem cano, de Procerum summis hic Maximus exit,
Infenso bellis usq; timendus Otry.
Cujus adhuc ingens percellit Strimona nomen;
Quis mihi tanta viri dicere serta labor?
Ipsa tamen nollet Musas succumbere virtus,
Et merito laudes adjuvat ipsa suas.
Quamvis vix aliquid dare, præter carmina possunt,
Materies tota est recta gerentis Heri.
Quis mel Hyblæ dederit? quis Nilo affuderit undas,
Quas virtus laudes jam sibi compta ferat?
Fertilis ingenij nulli plùs crevit arena,
Vberius nulli floruit oris honor.
Eloquij flumen rapidum superare Garumnam,
Et Sequanæ visum est plùs celerasse freto;
Gallica cùm Carolus pomeria viseret, augens
Externas dotes dotibus ipse suis.

Cùm

Cùm Rhodani Cives Lechico candore bearet,
Vnde novas ducunt Lilia trina nives.
Non tamen hîc longo retineri tempore passus,
Externo Patrium trivit in orbe decus.
Vix id habens rectum, messes impendere famæ,
Vrbibus externis, quæ meruêre domum.
Vomere quis presso Nabathæos excolit agros?
Dum fœcunda volet gleba Paterna coli.
Scilicet ut Nili quacunque cucurrerit amnis,
Cum limo magnas sæpè relinquit opes.
Ardua sic grandes ubi virtus explicat alas,
Multum sæpè sinit participata sui.
Sarmaticas igitur deserto Pictone laurus
Ingenti Carolus laude fovere studet.
Sed magis innocuæ placuit malacia vitæ,
Consilio gaudet prosperiore Comes.
Si quis in Arctoum venisset Tullius Orbem,
Inferior cultis sensibus esset ei.
Si quis ab Argolicis veheretur Iason alumnis,
Purpureis coleret non ita vellus avis.
Nec parcus verbo, nec linguæ fræna remisit.
Patria consilium dum tulit aula suum.
Impetus in vitium major, quo crimina fregit,
Quo poterat quodvis exanimasse scelus.

Quà venit, impendit commoda magna bonum.

ſive ſago valeas, res bona ſive togâ.

Res æquè meriti eſt, quæ celſos nutrit honores,
Sive ſago præſtet, quis bene, ſive togâ.
Scipiadas duros bellax commendat arena,
Commendant Fabios civica ſerta ſuos.
Martis, & Aſtreæ, palmis æquálibus enſes,
Quamvis arte aliâ regna domare ſolent.
Ille feros hoſtes, hic peſſima crimina vulgi
Involat, ille foris dimicat, iſte domi.
Sive tamen Scythiam, ſeu fortes viceris Vrbes,
Par caput ornabit laurea certa tuum.
His placidam ſertis noſter recreaſſe quietem,
His fertur ſtudijs eminuiſſe Comes.
In ſcelus, armatæ Themidis ſævire rigore,
In cædem, pigras viſus habere manus.
Otia Civilis vitæ, ſine fænore laudis,
Inſtar perpetui funeris eſſe ratus.
Nunc quoq; ſublimes illius Patria ſenſus,
Nunc quoq; Siradius munia laudat Eques.

ELEGIA XXIV.

Miniſtri Proceres.

THEODORUS II. Comes à DONHOFF, Supremus Regni Poloniæ Succamerarius.

Aureâ

Aureâ clavi opes Regias, aureâ virtute abdyta animorum reſerant ſibi Magnates optimi.

ITe cohors felix! umbras excedite Cynthi!
Pierides, ævi gloria prima mei.
Ite coronatas, ſertis obtendite frontes,
Regia nam vobis eſt adeunda domus.
Illa quidem ſtricto defenditur aurea ferro,
Martius obſedit limina celſa rigor;
Illa ferè innumeris populorum ſepta catervis,
Fidæ præcludunt intima ſceptra ſeræ ;
Sed patulas vobis Theodori clavibus arces,
Ominor, ut quævis atria, pandet honor.
Quidquid habent clauſi fora, Succamerarius offert,
Auratas aperit, quâ licet ire, fores.
Imò probas etiam mentes, ſacra pectora Regum,
Vis Divi Comitis ſumma patere volet.
Scilicet, ut ſolij reſerant conclavia claves,
Sic animi probitas omnia clauſtra ſubit.
Et potius fateor jus, quod regit abdyta cordis,
Quàm picturatum quod penetrale tenet.
Aurea plùs virtus pretij, modò perſtet in illo,
Quàm gazæ cuſtos, aurea clavis habet.
Faſcibus, ut ſummo fulgent quicunq; decore,
Terreſtrem ſatis eſt obtinuiſſe locum;

Excelſās probitas culmina quæq; ſupra eſt.

Angusto stringi contemnit limite virtus.

Terrigenas virtus postquam recreaverit aulas,
Imperium magni vindicat una poli.
Non secus, ac quædam captivant flumina ripæ,
Oceanum tellus stringere nulla potest.
Seu celsos igitur, Regum lustrare penates,
Seu placeat mentes, jus dat utrumq; Comes.
Hîc ubi jam tutâ subsistere lege licebit,
Quanta Theodorus dona, vid.te, tulit.
Quæ Majestatis, Lechici quæ præmia Regni?
Quæ notat illius civica serta labor?
Vt culto tenuit trabeatos ore Quirites?
Patritium Circi cùm premeretur ebur?
Vt lectum monuit suadâ probiore Senatum,
Servandi veteres quis modus esset opes?
Vt super Augusti curas ardentius ire,
Officio studuit, consilioq; suo?
Vt populi sortes. & regni commoda juvit?
Vt vacuâ biberat quaslibet aure preces?
Nobile cor Regum, præclari vita Senatûs,
Supplicibus Denhoff tutior ara reis.
Hîc quoq; spectetis, quali radiavit hymene?
De Bessen Comitum quis sibi nupsit honor?
Austria testis erit, quàm pulchrâ laude Ioannes,
Archiducem rexit, Cæsareamq; domum.

Quàm

Quàm faustis populum Ioachimus flexit habenis
Silesiæ, magni Cæsaris ipse loco?
Ferdinandeæ quid Adamus præstitit aulæ?
Quas in eo palmas Areopagus habet?
Intima consilij viguit quo Curia sensu,
Ante alios, cujus pars fuit ille bona.
Tanta sibi junxit de Bessen lumina consors,
Inq; vicem tantis est sociata toris.
Sideribus gaudent præstantia siderá jungi,
Constellatorum vis solet esse potens.
Juppiter in Martis deflectit limina sceptrum,
Excitet ut placidas ense rigente faces.
Plùs Cytheræa nitet Májæ conjuncta Nepoti,
Aspera Saturni frons amat astrá Jovis.
Is modus est aulis, augusto fædere necti,
Et conjuratâ luce nitere volunt.
Hæc ubi videritis, laurus deponite Musæ,
Quas Comes in laurus misceat ipse suas.

Adstrigi gaudent magnorum fædere magni.

ELE-

ELEGIA XXV.

FRIDERICUS Comes à DONHOFF, ERNESTI I. Filius, Subdapifer M. D. L. FRIDERICI Electoris Brandeburg. Legionum Generalis.

Amantes Patriæ Cives, ubicunq; fuerint, Pátriæ laborant.

QVi venit, é magnis est ille Nepotibus Heros,
Auxilium ponunt in quibus arma suum.
Nec Patriæ solùm, sed toti vixerat orbi,
Publica pluris habens, quàm sua vota Comes.
Subdapifer Litavæ gentis, sic Prussica signa
Dux agit, ut Lechiæ cederet omnis honor.
Debuit emerito Mars Brandeburgus Achilli,
Terruit intonsos quod sua fama Gothos.
Pulsa retrò cessit, sed jam minor æquore Balthis,
Vexerat unde graves insidiosa neces.

Quô major virt9 hoc latiùs imperat orbi.

Sic decet externi tentare pericula cœli,
Omnibus ut pateant ardua gesta thronis.
Tydeus Inachijs peregrinus dimicat armis,
Sanguine tot Ducibus laurea parta suo.
Æthyopes palmis implevit Perseus Vrbes,
Argolicæ quamvis de Jove gentis erat.

Sed

Sed quidquid meriti bello collegit uterq;,
In Patriæ redijt commoda magna rei.
Insignes, etenim, cives ubicunq; morentur,
Non sibi, sed regnis emolumenta ferunt.
Urbibus è Pænis, in Thracen vecta, vel ultra,
Ingenium proprij fert bona planta soli.
Et cedit Pæno, quidquid laudatur in illa,
Thrax sibi culta licet, Punica poma vocat.
Sic licet externo virtus desudet in orbe,
Vindicat omne sibi Patria fama decus.
Qualicunq; modo certes, nota maxima, credas,
Seu malè, sunt Patriæ, seu benè gesta, tuæ.
Vnde Borussiacis quidquid Fridericus in oris
Fecerat, id nostro fecerat ille bono.
Sic ubi sub signis aliquot jam lustra peregit,
Eximiâ, terræ spes Generalis, ope;
Patricias repetit satur omni laude curules,
Atq; novum Themidos quærit in arce decus.
Perstat enim, qui cæpit ági splendoribus orbis,
Ad majora suas exstimulare faces.
Certus, ut ille probæ radiet lux maxima gentis,
Extremus vitæ quem tenet usq; labor.
Occidit ante diem, qui cæpto deficit ausu,
Principiumq; premit nobile fine malo

In Patrias cedit laus quælibet inclyta laurus.

Eximius fertis jũgere ferta labor.

At quem ſtare ſuis videt omnis laudibus ætas,
Non defecturo ſidere fulget honor.
Caſtrenſes igitur palmas, civilibus auxit,
In Patrias veniens Dux Fridericus opes.
Hinc ſibi præclaram recti formabat Ideam,
Quem daret Europæ, Sarmatis aula, viri.
Dotibus his voluit quemvis excellere Civem,
Firmari tantâ pectora cuncta fide.

Exſtimulant animos fortes exempla Parẽtum.

Nam cum poſteritas habet, ad quam ſtrenua normã
Acta gerat, facili reddit honore typum.
Grandibus exemplis, ad grandia geſta movemur,
Et Patriæ laudi par ſtudet eſſe nepos.
A volucri diſcit volucris, quâ remige pennâ
Evolet; ac ab equo currere diſcit equus.
Hoc ſibi præſtari Friderici munere Lechus,
Senſit, ubi ſequitur prævia geſta Ducis.

ELEGIA XXVI.

HENRICUS Comes à DENHÖFF, Duneburgenſis Capitaneus, Ductor Cohortium Regni, HERMANUS Comes à DENHOFF, Filius THEODORI I. Ductor turmarum, HENRICUS II. HENRICI I. Filius, Comes à DENHOFF, Legionum Pedeſtrium Generalis, JOANNES Comes

mes á DENHOFF, Starogardensis Capitaneus, Cohortium Equestrium Germanic. Ductor.

Bellicosi Proceres.

Nulla immortalitas victuri Procerum Nominis securior est, quàm, quæ è mortibus hostium nascitur.

Tempus ad hoc Proceres, quos Civica purpura te-
Nunc cano palmari Nomina nata sago. (xit,
Et licet hic quivis ad prælia nascitur Heros,
Denhofium nunquam Nomen inerme fuit;
Omnibus est idem fervor, par gloria Martis,
Hostis eis, amor est, hostia victus amor;
Attamen hos Proceres, laurus speciosior ornat,
Sanguine qui famæ consuluere suæ.
Præstitit Henricus magnis id laudibus orbi
Sarmatico, Patriæ victima grata Domûs.
Cùm Sueticas acies inter, tormentaq; fortem,
In grandes animum suscitat ille minas.
Cùm cæsis vario, sed dextro, Marte Suévis,
Invictum posuit, morte pavente, caput.
Sæva Gothi rabies, Grunewaldi cinxerat arcem,
Oppressum gemuit sub Legione solum.
Ille modò tumidum consertis viribus hostem,
Opposito frangit pectore tela modò.

Henricus Ductor Cohort. ad Grunevaldã cæsus.

Et dum constanti grassatur in agmina ferro,
Concidit, æterni serta decoris alens.
Si cadit? immemoris tangit qui culmina famæ;
Et decus assurgit Nominis omne supra.

Hermanus Ductor turmar. ad Cecorâ strenuè concidit

Non minor Hermani virtus; hîc oderat Vrbes,
Et nisi Castrensi sub Iove lustra tulit.
Nulla quies; illâ melior, quam longa laborum,
Præbuerat series; nectar, amata sitis.
Nulla, Bisurmano quoties concurreret hosti,
Illi acies, quæ non sanguinolenta, placet.
Nec quenquam Geticus sibi plùs nocuisse Tyrannus
Senserat, exitij Dux fuit ille sui.
Zolkiewij Tyro, magni Chironis Achilles,
Par erat armatas jam præijsse manus.
Vir priùs, ætatis quam florem excedere visus,
Impendit Lechicæ fænora prima rei.
Sed decus id, Cecoræ clades fatalis ademit,
Dum nimius Thracem persequeretur Otrym.
Et poterat Cecorana palus, cêu Lerna timere,
Alcidam nostrum, ni volet ipse mori.

Henricus pedestrium Legionũ Generalis multorũ hostium victor-

Alter in Herculeos succedit Theseus ausus,
Qui cædem fratris, cæde referre studet:
Hic Comes Henricus, belli fax, atq; pedestris
Militis eximius Dux Generalis erat.

Bistbo-

Bisthonios nitrijs extinxerat ignibus ortus,
Et docuit Phæben funera posse pati.
Balthicus Herculeas, in eo, Leo comperit iras,
Rossius excepit fulmina justa Draco.
Quot palmis belli viruit Threissa Mæotis?
Quot domitus vexit Dacica serta Tyras!
Iunior Annibali, sed fortior arma prehendit,
Quæ nisi cum vita deseruisse labor.
Bellonæ soli Comes hic nupsisse videtur,
Quem placidus nullo vulnere læsit Hymen.
Res siquidem belli, vario distractus amore,
Non benè fert animus, nec fit utriq; satis.
Maxima dos illi de bellis crescere bella,
Atq; semel victum, rursus adire Geten.
Hanc propè Ioannes, implevit passibus æquis,
Detritam merito laudis honore viam.
Theutonicos equidem, sed nostri juris Equestres,
Duxit, ut externi militis esset amor.
Nullus erat, qui non Comiti succumberet hostis;
Naufragiumq; suo grande cruore daret.
Scilicet æternæ securior orbita famæ
Esse nequit, quàm, quæ cæde frequente calet.
Mortibus ex ipsis superati nascitur hostis,
Immortale probo Nomen, honorq; Duci.

Joannes Ductor Germa-nicor. E-questriũ gloriosus bellator.

Talibus excellit Denhoffia gloria sertis,
Tot bellatorum strenua gesta canit.

ELEGIA XXVII.

STANISLAUS I. S.R.I. P. Filius GASPARIS, Capitan. Vielunen. SIGISMUNDUS II. S. R. I. P. Filius STANISLAI I. Sucamerarius Vielunens. FRANCISCUS Capitan. Visliceus. THEODORI II. Filius, HENRICUS Capitaneus Urzendov. ejusdem Filius, Comites à DONHOFF.

Procerum fertilitas, optimus Regnorum fructus est.

Insignes meritis sublimāt regna Ministri.

FErtilitas Procerum, dignos parit inclyta fructus,
Unde ferunt pretium Regia poma suum.
Este! procul steriles, frugum sine fænore glebæ,
Præstat Echionij Martia messis agri.
Este procul nuptæ! Matres quibus esse negatum est,
Scipiadûm terræ fertilis aula placet.

Non sibi sed Patriæ quælibet aula parit.

Scilicet, officijs Regni, quæ nacta Ministros
Longa vigent, quævis gignit honesta Parens.
Deficit omnis apex, ubi certus deficit Hæres,
Fonte perit grandis dispereunte latex.
Dedecus hoc clemens Comitum Lucina removit,
A Denhoffiaci fertilitate tori.
Quælibet hic Mater fœtu meliore triumphat,
Quælibet ad fasces, Regnaq; fausta parit.

An

An data jam ſupra, non hæc exempla loquuntur,
Perq́; tot ætates continuatus honor!
Inde Staniſlaus fluit, alti ſanguinis Hæres,
Ac idem ſeræ poſteritatis amor.
Terra Vielunenſis, quæ Caſtrum ceſſerat illi,
Laudibus eximijs Principis aucta fuit.
In Zaporovijs Lernæa paludibus antra,
Cernens, Alcidâ non minor ipſe ſtetit.
Hoc tamen eſt illo melior, quod robore forti,
Plusquam Septicipem fregit & uſſit Hydram.
Tot Capitum ſiquidem fuerat, quod millibus ingens
Turba Coſacorum conſociata fuit.
Spectabat validos Princeps Caſimirus agones,
Inſignemq́; viri ſemper amavit opem.
Fortibus eſt pulchrum fuſo de ſanguine lucrum,
Aſpectus Domini promeruiſſe ſui.
Cor Majeſtatis, quod ad acres flectitur auſus,
In manibus Procerum, militiæq́; manet.

Cum ferro, Regũ cor, Martiadextra prehendis.

Inde Sigiſmundus quem Dux Radivillia terris,
Edidit æternos ſanguine præſtat Avos.
Præſtat honore pari, quem Succameraria Clavis
Ornat, & in quævis pectora pandit iter.
Externas Patriæ virtuti jungere dotes,
Non male geſta volens, extera regna ſubit.

Mox

Mox quibus assuevit, peregrinæ Palladis artes.
Cum magna solijs utilitate locat.
Vidit, & audivit Lechici sacra Curia Regni,
Doctrinæ pretium, pondus, opemq; suæ.
Quando Vielunensis toties is portitor Orbis,
Concilij Procerum pars, faciesq; fuit.
Inde meant celsi Comites, par nobile fratrum,
Qui vel Amyclæo fœdere pluris erant.
Francisci tulerat Visliccia Curia leges,
Serta cui nectit plurima diva Themis.
Censibus Henricum colit Vrzendowia largis,
Et tanto gaudet Iudice posse regi.
Patritiæ verax speculum virtutis uterq;,
Immemoris certus laudis uterq; scopus.
Dacica testis erit, quo sanguine palma rigata est,
Cum Dacis, illi conseruêre manus.
Consilij, fideiq; nitor, quis fulserit illis?
Lechica, cum multis Civibus aula refert.
Iustitiæ, rectiq; tenor, quis strinxerit illos?
Ipsa bonos testes Areopagus habet.
Sic utinam! semper Lechicæ peperisse Parentes,
Quælibet hoc fieri pignore Mater amet!

ELEGIA XXVIII.

BOGUSLAUS ERNESTUS Succamer. M.D.L. Generalis S. R. M. FRIDERICUS Vicepræfectus Stabuli M.D.L. Colonell. S. R. M. Comites á DENHOFF, par insuperabile Fratrum.

Corpus Reipublicæ unione Fraternorum affectuum prosperè animatur.

UNde jubet vestrum fortissima Numina belli,
Fama referre genus, non juvat unde, cano.
Et licet ipsa mihi series occurrit Avorum,
Sola tamen vestri prælia Martis agam.
Lapponicas, Sveonesq́; scio, frondescere laurus,
Qvas vobis crebro sanguine mucro fovet.
Nulla ferè dantur Lechici certamina sceptri,
Quorum non fieret pars bona vester honor.
Siq́; dies Regni fatis melioribus irent,
Sisteret & rapidam sors fugitiva rotam;
Si mentes uno scissas concordia nexu,
Vinciret faciles deperitura moras;
Ad Tanaim vobis, non Balthica littora tantùm,
Floreret nitidis laurea multa comis.
Tunc ego pacatæ proscribens otia Musæ,
Insequerer celeri signa, labore Ducum.

Dum ferus instaret metuendâ cuspide Mavors,
Et Thrax præpetibus curreret hostis equis;
Ipse meum, vestræ tutamen vile salutis,
Objicerem telis, insidiisq; latus.
Quovoscunq; calor, quo mens impelleret audax,
Optarem vestro proximus esse sago;
Vt sic ipse meis oculis proba facta notarem,
Conformi posthâc effigianda stylo.
Quanto Barbaricos animo rueretis in arcus?
Quâ foret ad palmas obsita cæde viâ?
Vtq; loquar, quam me discommoda vestra moverent,
Et quævis nimio perderet ansa metu;
Prospicerem, quali vos in discrimina gestu?
Martius ex acie, quo pede ferret equus?
Sed quamvis Geticos modò non vacat ire per enses
Pulchra satis vobis Gottica palma viret.
Et jam laurigeras nectit Bellona coronas,
Iam Numidâ signat dente trophæa, Lechus.
Milleq; jam vestro desudant prœla labori,
Mille sonant tantis Tullia rostra Viris.
Sic volet Arctous semper florere Gradivus,
Armiger hoc Litavus semper honore frui.
Quidnî perpetuas, juncto conamine Fratrum,
Nominis, & laurûs Patria ferret opes?

Non

Non ſic arma Ducum, non ſic vis fortior auri,
Ut ſtrictus Procerum Regna tuetur amor.
Quam ligat affectus, metuenda potentia cûivis,
Fraterni clypeus frater honoris erit.
Etſi finitimis unus ſuccumbat in armis,
Alter in auxilium, ſparſaq; caſtra venit.
Utq; jubet pietas, alterna pericula credunt,
Eſſe ſibi; fratris vulnera frater obit.
Et pariter felix, ſi quid dedit álea belli,
Æquali laudum fulget uterq; modo.
Sic dum fraternis coaleſcunt robora flammis,
Fortius eſt Patriæ corpus in arma ſuæ.
Quæ licet eſt ingens, & multo Cive ſuperba,
Diſcordi ſenſu, debilis eſſe ſolet.
Viribus unitis, nil non ſuperare parata,
Ad numerum populi, ſit licet illa minor.
Corruit imperij, quam deſerit unio moles,
Majeſtas animam quælibet inde trahit
Iudicium modò regna ferant, quæ gloria Lechi?
Qui vos uniti cordis, & oris habet,

Plus armis Procerũ Regna tuetur amor

Fæcundo generis solidatur gloria nexu

Unitis põdus viribus omne leve eſt.

ELEGIA XXIX.

STANISLAUS II. Comes à DENHOFF, VLADISLAI I. Filius, Campiductor M.D.L. Ensifer Regni, Mareschalcus Confœderationis Sendomir. & Equestris Curiæ

Æterni sint Proceres necesse, qui salutari consilio Patriæ succurrunt.

REgia Dux soboles, quem magni Regis origo,
Tradit, in Arragonum jus cui sceptra fuit;
Quis Te Regificis non increvisse trophæis?
Quis neget ex animo debita regna Tuo?
Fama refert nobis, quod cum Lucina pararet
Te decus Augusto, progeniemq; Patri,
Regales Aquilas, in cunas stravit, & ostrum,
Signavit quali murice fultus eras.
Quæ Tibi spes celsæ, Procerum dignissime, vocis?
Eximij quondam quis foret oris honor?
Quàm mens consilijs Civilibus apta, Thronisq;?
Cor Tibi quàm rectum? vaticinata Dea est.
Hinc Tua Bellonæ felix infantia cessit,
Vbere, quem castris paverat illa suo.
Suxisti celebres primo cum lacte triumphos;
Foverat armigero, Thrax Dea, membra sinu.

Plùs

Plùs id Amalthææ quàm dulcia Flumina Capræ,
Æstimo, quæ tenerum pascere jussa Iovem:
Ista pecus fuerat Dictæum, fortibus illa,
Nata Dijs, nutrix quæ tulit esse Tua.
Indolis hocce Tuæ decus est, quæ maxima cum sit,
A superis alitur non nisi ritè Dijs.
Virginis armatæ, Pallas galeata labores
Excipit, officijs utraq; capta Tuis.
Cælica crede mihi, res est, dum Numina certant,
Quo placeant tanto, quantus es ipse, Duci.
Prosperiùs nunquam florens exuberat ætás,
Quam cui divinus semina jecit amor.
In Calasantinas, *spes optima Palladis ædes*
Transfereris, Patriæ constituendus opi.
Hic nitor est nostri, quo formabare Lycæi,
Nos hoc in celsos fert decus usq; Polos;
Quantus Aristoteli de magno crevit Alumno,
Temporibus nullis evacuandus honor.
Quam Xenophon famam, Medi de nomine Cyri,
Quem fertur leges edocuisse, tulit.
Philyrides Thetio factus Præceptor Achilli,
Quot numerat laudis serta venusta suæ;
Tot pia Pallas habet, de Te fortissime Ductor,
Quem gaudet studijs incubuisse suis.

Optima quæ cæli flammatur a moribus ætas.

In Collegio Vars. Scholarũ Piar. studia tractat.

Nemo ſacras potuit didiciſſe fideliùs artes;
Pierium meliùs, nemo bibiſſe fretum.
Nec Procerum quisquam, nec Regum pleniùs hauſit
Eloquij dulces, tempora multa ſales.
Publica teſtantur, ſuadæ quæ nectare condis,
Et ſeris referent Civibus acta, quis es?
Sermo Tibi fervens, hâc Majeſtate triumphas,
Ceû tonet Auſonio Tullius ipſe foro.
Vtq; libens ſtrictum, cum res ita poſtulat enſem
Arripis, hoſtiles depopulatus opes;
Pectore ſic toto ſtudijs incumbere gaudes,
Cùm Patriæ moles, preſſaq; cura ſinit.
Creſcit inacceſſo Majeſtas Lechica ſenſu,
Inq; Tuis humeris ſiſtit Equeſtre decus.
Non ego Civiles par ſum deſcribere motus,
Hoc in Te totum pænè quievit onus.
Quid Sendomirio Lechis in fœdere confers?
Præſidium cujus primus, & Author eras?
Quàm benè ſceptra Tuus defendere Scipio novit,
Corporis illius cum legerêre Caput.
In Te tota ferè proba conſultatio Breſtæ,
In Te Varſoviæ Regia cauſa ſtetit.
Exilium Regis, violentaq; jura Gothorum,
Maturâ reprobas, nempè, ſtyloq; fori.

Inde

Inde Thorunensem collectus Civis in urbem,
Restituit Domino sceptra negata suo.
Quanta facis juvenis? primoq; in vere decoris?
Non credo Fabium plùs potuisse senem.
Prætextæ trabeam junxisse Papyrius alter,
Omni ter felix orbe canêre Comes.
Scilicet ingenium præceps, velocius exit,
Anticipatq; suos præcocitate dies.
Imperio cæli fuerat par Juppiter infans,
Accelerat virtus fortibus ante diem.

Magna venit virtus, fortibus ante diem.

Nec Sendomirij tantùm Tibi gloria cessit
Fœderis, omnis Eques sub Tua jura venit.
Integra Marschallum sibi Te Respublica nuper,
Expetijt, solus Tu benè Regna doces.
Hoc Tecum commune puto, succedere nulli,
Rarus eam Patriæ ferre valebit opem.
Ergo perennantis Tibi vitæ lustra precamur,
Tam benè qui Regno consulis ipse Tuo.

Finis Libri Secundi.

BO-

BONUS AULICUS.

Qui ad Regiæ familiaritatis Sacrarium admittuntur, multa facere possunt, & dicere, quibus pauperum necessitas sublevetur, foveatur Religio, fiat æquitas, Ecclesia dilatetur.

Petrus Blesensis.

LIBER III.
Arcana Politica
BONI AVLICI.

ELEGIA I.
Ita vitam institue, ut DEUM testem non erubescas, Hominum oculos verearis.

PRima tibi sit lex; ut agas, quod comprobet æther,
Et studium cures semper habere Poli.
Plùs hæc, quæ Numen, quàm, quæ tua commoda tãgũt,
Inter divitias, primaq; dona refer.
Consilijs Cœli, quævis fortuna tenetur,
A Superis pretium gloria quæq; trahit.
Vivere cùm debes rectè, sic omnia tractes,
Ne quod opus post hâc diffiteare tuum.
Nil age, quod præsens in te contemneret hostis,
Et quod, ut indignum, fortè latere voles.

Sit testis vitæ Numen ubique tuæ.

Hinc tibi pro norma ſpectantia ſidera fige,
Conſtituens ipſo vivere teſte DEO.
Optimus eſt vitæ ſtimulus, placuiſſe Tonanti,
Ac illi mores exhibuiſſe probos.
Ex hominum penſa ſtudijs; quis crederet illi
Omnia? mox hoſtem, quem putat, eſſe ſuum?
Utere ſic ſocio, quaſi parvo tempore perſtet.
Qui bonus eſt hodie, cras inimicus erit.
Hinc, prout adverſæ nolles confidere parti,
Sic, & amicitiæ certa ſit arrha tuæ.
Si metuis teſtem, ne turpia geſta revelet,
Quis poterit ſummo plura videre DEO?
Quis tibi ſic rigidâ par eſt incumbere pœnâ!
Quàm, qui Iudicijs te premet ipſe ſuis?
Et quia, jam ſpectat, quod tunc punire decebit,
Expedit à tanto Teſte timere ſibi.
Quis ſcelus aggreditur ferro, Gyarisq; piandum?
Si præſtò Regem, qui notet, eſſe ſciat?
Quis ruet in medios, gladijs cingentibus, hoſtes?
Et non exitij ſentiet arma ſui?
Sed nec mille cruces, nec ſic tormenta nocebunt
Bellica, quàm gravior vindicis ira DEI.
Eſt igitur veri ratio ſpectanda Tonantis,
Aulicus ut vivas aptus utriq; foro.

Sic tibi tractetur ceû mox non perſtet, amicus.

Hic Iudex, qui nunc eſt tibi teſtis, erit.

Maxima

Maxima sit quamvis, lapsum fortuna minatur,
Quæ non est superûm principe nixa basi.
Præmia si rectæ spondes tibi currere vitæ?
Non peritura DEVS præmia solus habet.
Si metuis pœnas? minor omnis pœna Tyranni,
Illâ, quam patitur sub Styge triste scelus.
Quære bonum Cœli primò, si vivere felix,
Et tibi pacatos vis cumulare dies.

Præmia si quæris? sunt maxima præmia Cœlo.

Virtuti pax est; vitijs jactabitur aula;
Ceû quatit infirmam sæva procella ratem;
Libertas animi probitatis adaucta sereno,
Non feret infami succubuisse jugo;
Quod tamen imponet dominæ cervicibus aulæ,
Si regnans vitium civica fræna regat.

Virtus pacificos præbet honesta dies.

Recta jubet ratio privatos ponere motus,
Vt meliùs toleres obvia bella foris.
Tempestate domi dubiam lacerante carinam,
Quæ spes, externos posse domare duces?
Vive Tui Dominus; nec te tua mancipet ætas,
Turpe reget populum, qui sibi servus erit.
Marcentes animi libres super ardua, laurus,
Et quod luxuriat, falce secante preme.
Quod nimis excedit, justo compesce rigore,
Debilita, quod non frangere pænè potes.

Crimina diversis debilitãda modis.

Si non exscindes, saltem mala cœpta retundas;
Nec jam sic audax, ut prius, hostis erit.
Non omnes morbos eadem medicina coercet,
Attamen alleviat, quod superare nequit.
Hoc vitijs adhibe, si non radicitùs uno
Evellas tractu, debilitasse satis.
Non ideo Chiron medicantes respuit herbas,
Quòd nequit immensi vim cohibere mali.
Si non de toto, magna de parte subactum,
Debebit vires attenuare scelus.

Omnia, nemo simul tollere damna potest.

Vnde, nec id laudo, quod quis simul omnia tentet,
Qui potuit, sensim, tollere damna sui.
Nulla *dies abeat, quam non sua linea signet,*
Quâ, te non videas in meliore statu.
Sed multos condit, quales sol inchoat annos,
Non unam perdis Vespasiane diem!
Dum nihil à veteri morum tibi detrahis usu,
Majores & aquas, grandibus addis aquis.
Sæpe putas vitio rerum, non pectoris angi,
Attamen emergit virus id esse tuum.
Fortunam querimur, Numenq; lacessimus ipsum,
Cùm simus nostri maxima causa mali.

Aspectu magni detineare Viri.

Post superos, aliquo studeas sub teste morari,
Cujus vel nomen, vel vereare minas.

Aut,

Aut si non vivos, libris imitare relictos;
Cujuscunq; tibi vita legenda viri.

Mortuus, aut vivus præeat tibi dotibus author.

Exemplis animus crescit; pressumq; ruinis,
Erigit ingenti laude petitus honor.
Nil benè correxit, nisi debita regula, pravum;
Componet mores sors aliena tuos.
Vtq; canis, grandes alij cùm morsibus apros
Infestant, agili currit & ipse pede;
Vt Sonipes tumido campum quatit, arvaq; cornu,
Cùm propè bellaces insonuere tubæ;
Sic tua propositis melior spes facta trophæis,
In similes ausus, gestaq; magna ruet.
Vis animum? fortis Macedo tibi sæpè videndus,
Quem vix Oceanus, nullaq; terra capit.
Imperium clemens Augusti reddet imago;
Gaudet hic in quovis decubuisse sinu.
Cæsaris invicto robur metire labore,
Aurum desipiat cum Tuberone tibi.
Bella placent extra? revocandus ad arma Metellus,
Excubijs Marius, Scipio classe valet.
Annibal est solers; constantia dura Laconum;
In Fabio, virtus est moderata nimis.
Sarmaticis etiam fuerat sua gloria regnis,
Heroum debent ardua facta legi,

Sive

Sive Boleslai palmaria sceptra Pudici,
Sive Iagellonidæ, fac, alicujus ames.
In proavos pietas Krivousti pectore sculpta est,
In quo cum gestis ora Paterna tulit.
His animum formes, alienaq; jam tua reddas,
Vt lectum ex herbis mel vaga condit apis.

ELEGIA II.

Amicos eos delige, quorum contubernio, virtutem tuam, & felicitatem debeas.

INtererit, quali bene conjungaris amico;
Ne tua, quo nolis, pulsa sit ægra ratis.
Nam prout à varijs implentur Carbasa ventis,
Lassaq; coguntur, quo pepulêre, sequi;
Sic animos hominum socialis distinet ardor,
Seu pravo caleat pectore, sive bono.
Nec satis advertes, quantâ rubigine mores,
Quàm subitò comitis te variabit amor.
Improbitas siquidem, probitasq; faventis amici,
Insinuat tacitis se tibi sæpè vijs.
Paulatim teneræ coalescunt sanguine vires;
Vt vix dignoscas, quô sit, & unde priùs.

Moribus assuesces, cum quo jungeris, amici.

Ingenium

Ingenium terræ diverſi munere ſucci,
Ablactat faciles ad nova ſepta pyrus.
Et tu, cum minimè ſociali vivere ritu
Crederis, hinc ſenſim verba, modoſq́ʒ trahes.
Nec quantùm proſint, quantùm tibi ferre ruinæ
Maturent, ullo noſſe colore potes.
Attamen eſt certùm, multos hinc ſerpere nævos,
Aut rursus magnâ te probitate frui.
Vt quædam mordere ſolent inſecta minora,
Et nullo ſenſu vulnera facta patent;
Admonet ipſe tumor, quod ſit vis miſſa veneni,
Nulla tamen læſæ ſigna relicta cutis.
Sic mores Socij, veluti præcepta bibuntur,
Nec quæ lucra, vides, quæ tibi damna ferunt.
Vnde probos hominum ſemper venare favores;
Sit vigil aucupij cura, ſtatûſqʒ tui.
Vt quaſi connatæ creſcant cum corpore dotes,
Naturâqʒ tibi mox videare bonus.
Nam, prout infauſtæ lædunt contagia mentis,
Sic animum ſanant fædera recta tuum.
Et quibus aſſveſcis (te vix ea dona notante)
Illorum mores, ingeniumq́ʒ bibes.
Vt fluvijs juncti pariunt fæcundiùs agri,
Imbreqʒ, quos, nubes proximiore rigant,

At qui dimoto ſterileſcunt flumine campi,
Nil, niſi vel lappas, vel bona parva dabunt.

Rectus amor rectos, reprobos dat pravus amantes.

Sic connexa probis virtus locupletior ornat;
Iuncta malis venâ deteriore meat.
Quare, diſcinctos, animiq; libidine molles,
Et quos eſt pietas inficiata, fuge.
Maxima pars recti difformes ſpernere cætus,
Et fuga ſola mali vim probitatis habet.
Non, quod in obſcura virtus niſi regnet eremo,
Aût hominum nolit mitia jura pati.
Præcipuè, quod amet præſens conſortia vita,
Et plus eſt, populo, quam placuiſſe feris.
Sed, quod ſubſidat vitiorum prava facultas,
Cùm qui, vel laudet, vel juvet illa, deeſt.
Aût trahimur ſtudijs, aût nos præcurrimus ipſi,
Mirator ſocius fomes utriq; malo eſt.

Spectator firmat crimina magna Comes.

Quis gemmis, auroq; nitet? niſi, qui notet, adſit?
Quis truncos inter explicat arma rudes?
Nemo ſuis oculis lautus; nec pompa juvabit,
Si ſpectatorum deſtituatur ope.
Vnde locus vitijs expanditur ordine turbæ;
Laudator, ſcelerum proxima cauſa fuit.
Tolle malos comites, pravo das fræna furori,
Absq; alijs rarò quis malus eſſe ſolet.

Ni fuerint venti, nunquam freta vasta timebunt,
Colludet velis svavior aura suis.
Ni quis adhortetur, nullâ vi tollitur ira,
Decumbuntq; graves, vix subiere minæ,
Quod si contigerit, fato, vel honore jubente,
Vt toleres simili te sociare viro:
Ocyus, ut pavidæ fugiunt mala retia cervæ,
Dum licet, innocuum subtrahe retrò pedem.
Nec nimiùm crudè; ne contemnaris ab ipso,
Excusent socias verba modesta vices.
Non, ut Alexandri nodum simul abscidit ensis,
Aut cæsa est subitò falce metente seges.
Quære viam facilem; præsto est occasio semper,
Quâ de non puris nare licebit aquis.
Sit ratio sexûs; magnis conatibus impar
Fæmina, nec sceptris, nec satis apta foro.
Officio linguæ matura negotia mollit;
Iustis affectu perniciosa suo.
Secreti minùs illa tenax, quam garrula cornix,
Et vix tangendis ingeniosa dolis.
Si tamen, aut precibus tentanda potentia Regum,
Aut quid inoccultum forsan habere velis;
His valet; & leni facilis convincere verbo,
Et famam miris spargere docta modis.

Molliter & cautè pravus vitetur amicus.

Intret amicitiã fæmina nulla tuam.

Nonnũquã Creûsæ garrula lingua juvat.

Consilijs arcenda tuis; ita tutior ibis;
Nam quo collimet mens tua, scire cupit;
Sed quorsum trahimur? quid noxia fœmina curæ?
Cùm tibi cum dignis res sit habenda viris?
Hos quoq; non omnes, sed apertæ delige mentis,
Quos minùs accensis excitat ira minis.

Effrænes animo sẽper vitabis amicos.

Qui motus frænare potest, hic aptior aulæ;
Cædibus, ac odijs infima turba furit.
Quid tibi consuleret? qui se malè dirigit ipse?
Vicinæ Scyllis concutiuntur aquæ.
Tranquillis opus est ad commoda littora ventis,
Abripiunt dubiam turbida vela scapham.

Qui nimis est durꝰ vix tua vota feret.

Qui nimiùm duri, nulloq; favore moventur,
Vix & amicitiæ vincula lenta ferent,
Difficiles monitu renuunt affectibus uti;
Et Steropum chalybi, marmoribusq; pares.
At comes alternâ sociorum lege regendus;
Cui simul omne placet, displicet omne simul.
Tu quoq; quâ poteris blandi dulcedine vultûs,
Quâ frontis specie, mutua jura cole.
Ex oculis, verbisq; legat tua pectora quivis,
Et sibi candidiùs, te, nihil esse putet.

Celari læsæ vulnera mentis, amo.

Læsus ama, tectæ simulato vulnere mentis,
Aût fastum risu dexteriore doma;

Vel

Vel, quasi despiceres, alio discrimine vitæ,
Hoc, quod non ex re est, incipiendo loqui.
Si laudare velis aliquem, non detrahe multis,
Nec plùs, quàm dotes, conditioq́; ferat.
Nam sic officio magis irritare videris,
Cùm laudas, quod non imputat ille sibi.
Omnibus, ut poteris, magno blandire favore,
Sin minùs, à lingua vituperante cave.
Imo etiam carptus, nunquam convitia redde,
Mollibus evinces aspera verba modis.
Si noto quisquam vitio, famâq́; laboret,
Et jam vix sanâ laude fovendus erit.
Quod damnant alij, tacito sub pectore volve,
Lauda, quod potuit, præter habere boni.
At Tua, cum locus est, bona ne jactaveris unquam,
Nam parient stimulos, invidiamq́; tibi.
Imò, verecundo renuas præconia vultu,
Si quæ, vel populus, vel tibi scripta dabunt.
Sit meruisse satis; Quid honor, vel gloria plebis?
Quid dat virtuti laus phalerata tuæ?
Hic bonus est, reliquos qui cursibus anteit omnes,
Non qui de gemmis fræna momordit equus.
Et quæ fæcundo gravidatur palmite vitis,
Non cui pro folijs aurea squamma nitet.

Laudabis cunctos, parcior ipse tibi.

Tu quoq; virtuti studeas, non laudibus ullis,
Ipsa sibi probitas præco, decusq; sat est.

ELEGIA III.

Vide, cui fide.

QVis nimiùm cautis per tanta pericula remis,
Gaudeat exundans hoc superasse mare?
Quis per obarmatum suspectis Syrtibus æquor,
Gestiat infractam ducere nauta ratem?
Vt pelago, sic nulla fides constabit amori,
Nunc alit Alciones, nunc fera bella movet,
Quàm mendax placidis in fluctibus æstuat error?
Quàm tempestati subjacet alta quies?
Quàm brevibus ludit tranquilla modestia verbis?
Colliditq; animos? dicere nemo potest.

Fallax est nimiùm non benè notus amor

Quis modus insidijs? quæ spes lactantibus auris?
Vt gravis in pulchro munere sæpè dolus!
Sidera, vel Lybicas citiùs numerabis arenas,
Aut quot apes operi Trinacris Hybla fovet;
Innumeras quam nos fraudes variantis amici,
Credamur paucis stringere posse metris.
Subruit ingentes tacito mare gurgite montes,
Et verrit rupes unda dolosa cavas.

Mænia

Mænia magna cadunt suffosso pulvere nitri,
Saxa velut molles ejaculante pilas.
Sic hominum falsæ gaudet subvertere mentes,
Quod bonus exstruxit, vel sociavit amor.
Vnde velim, pressis ineas hæc æquora velis,
Ne nimis infausto corripiare Noto.
Non facilem credas, quamvis bona sidera, navim,
Plùs tibi damnosis, cum siluere, vadis.
Merget, ubi ludit malacia lubrica ponti,
Compositas inter naufragus ibis aquas.
Hinc quoties raperis pelago socialis amoris,
Cauta priùs tentet pectoris ima bolis.
Sæpè sub egregio latuerunt funera vultu,
Quiq; mel obtulerat, sæpè venena dedit.
Quando per illecebras temeraria pectora mollit,
Intùs tela tibi plùs nocitura parat.
Vtq; solent aliqui totâ se credere mente,
Ridens incautos fraus petit illa viros.
Hinc majora scias, quæ tecta pericula semper;
Plus occulta tibi, quàm manifesta nocent.
Nôris cûi pectus, cui magna negotia fidas;
Quod facilis populi fama docere potest.
Qualis, & in quorum priùs hæsit honore virorum,
Quàm dextrâ fruitur dotibus arte suis.

Blandus amor, tectâ cuspide, sæpè nocet.

Vicina quæras, ejus quis fructus, ab agro.

Omnia

Omnia per notos poteris conquirere Cives;
Cognita vicino ſunt mala geſta Lari.

Qui faci lis riſu, prætereũdus erit

Qui frontem blandam, rugis prodentibus, aptat,
Qui variat riſus, inſidiator erit.
Circumfert placidi quoddam velamen amici,
Sed fraudum patriam ſubdolus intùs alit.
Cumq́; minùs docto ſe jam transfudit amori,
Exerit ingenij damna nefanda ſui
Quo quis candidior, quo pectore celſior exſtat,
Plùs illis jaculis, inſidijsq́; patet.
Nam propriâ quemvis ubi dimetitur ab arte,
Candoremq́; alijs credit ineſſe ſuum;
Non metuit fraudes, quibus ipſe carere videtur,
Inſidias neſcit, quas adhibere cavet.
Indignæ ſiquidem vires à vulpe petuntur,
Cùm fuerit potior ſemper in arma Leo.

Magnanimi vaſtis plùs patuere dolis.

Ignavæ mentis generoſior æſtimat Heros,
Robore cùm par ſit, quærere velle dolos.
Quo fit, ut infido facilis concedat amico,
Dum minùs hinc odium, falſaq́; verba timet,
Et propè magnanimos premit hæc incuria Cives;
Vt rarò cautis legibus ire velint;
Quod timidi credant animi, diffidere multis;
Et ferro linguæ damna piare queunt.

Attamen,

Attamen, & magnas ſcimus perijſſe carinas,
Dum caret artifici parvula rima manu.
Dodonas quercus caries vtliſſima rodit;
Quâ fundit modicas defluus imber aquas.
Hinc licet indomiti ſpes ſit tibi roboris ingens,
Attamen inſidias, bellaq; tecta time.
Qui tibi blanditur, potiùs ſua commoda quærit,
Quam ſocijs, ut amet, te cumulare bonis.
Verus amicitiæ candor cum lacte paratur,
Qui ſimulat, non eſt aptus ad iſta color.
Rumpit, quos reperit, malus aſſentator amores,
Dum ſe, quod non eſt, fingere ſæpè ſolet.

Qui nimis eſt comis potiùs ſua commoda curat.

Nativo virtus animum commendat honore,
Et licet Oceano laveris, una manet.
At picturati pluviâ ſtillante decores,
Quod fallax fuerat, depoſuêre decus.
Noſce vel ex oculis; rara eſt conſtantia falſis,
Noſce vel ex verbis, diſſona pænè ſibi.
Promiſſis nunquam concordia facta videbis,
Dumq; nimis captant, proxima tela ferunt.
Proditur hoc virus, nec longo tempore fallit,
Vt ſtibio facies exſpoliata patet.
Vtq; latens ignis, cineres plerumq; doloſos
Flammat, ſecuras paſtus in urbe domos.

Quis retegit paſſim pectora falſa color.

Sic, licet infelix aliquantùm turba tegetur,
Sed prodit, ſolito deficiente dolo.
Hâc tamen advertes facili ratione bilingues;
Cùm nimis affirmant, velle negare puta.
Quando negant, illos tunc affirmare memento,
Spondent, nil ſpera; reſpuis, ultrò dabunt.
Iurant, crede dolum; quô largius omnia donant,
Munera plùs quævis inſidioſa cave.
Subdola mentito componunt verba colore;
Vanaq; re nôris, quæ ſpecioſa vides.
Heu! procul infames fuge recto pectore Scyllas;
Sunt ſua fucatis certa venena labris.

ELEGIA IV.

In adverſis explorabis amicum.

REbus in adverſis noſces, qui perſtet amicus;
Diſcernunt fictos tempora dura viros.
Sic propè Naucleri comperta peritia primò eſt,
Cùm tempeſtates, brumaq; ſævit atrox;
Sic, pretium fulvi patuit ſinceriùs auri,
Cùm Lyparea ſuas flamma reſolvit opes.
At nimiùm prudens, qui quàm fera vulnera ſentit,
Hoſtem cognovit, jactaq; tela priùs.

Sera

Sera malignanti struimus convitia sorti,
Cùm nos in laqueo clausit iniqua suo.
Serò Phryges hostem captis expellere portis
Nituntur, medio cùm movet arma foro.
Quis remos tumidis haustos circumspicit undis?
Dum scopuli quassas jam secuêre trabes.
Vndè priùs tenta, fidum quàm sumis Achatem;
Serò quis accusat, quod removere nequit.
Qualis erat Pylades furibundo junctus Oresti,
Cum quo Taurogetas usq; petivit aquas.
Nil extorrere solum, nil Caspia frigora pavit,
In Patria constans, exilioq; comes.
Tales quære viros; sed quo noscetur ab Astro?
Quod nunquam possit non meminisse tui?
Implora varios, quibus ille cohæsit amicos;
Illorumq; malis experimenta cape.
Cautior exemplo, metuenda pericula spernes,
Prædam alienus aget sub tua tecta canis.
Quomodo convixit reliquis! quâ fronte procellas
Sustinuit, socium quæ tutudere latus?
Infractus steterit? vel iniquis cedere rebus
Maluerit? faustæ non nisi partis amans!
Labenti quoties dextram porrexit amico?
An potiùs cæptis impulit ipse malis?

Per varias artes bonus exploretur amicus.

Ambiguoné ferat mutabile pectore robur?
Fatané cum socio, quæq; subire cupit?
Vltroné subsidio venit? vel sæpè rogatus
Projecit, reddi quas sibi sperat, opes?
Exilijné comes gelidos horreret Alanos?
An vel in abruptum strenuus iret Athon?
Quod si difficilem venari noveris auram,
Expiscare tuis, quid valet ille, modis.

Cernat te toto succubuisse statu

Viderit ut magnas te circùm stare ruinas,
Aut odium, famæ damnavé summa tuæ.
Si norit lapsis extrema pericula spebus,
Et nisi te presso vivere posse loco.

Falsus ab incepto socius discedet amore.

Hinc Siculas opibus Syrtes, hinc naufraga sortis
Carbasa, vel toto te titubare statu.
Spem vix esse Domûs; nullo te sanguine tutum,
Inq; tuum quod sit plebs ruitura caput.

At verus quodvis perpetietur onus

Tunc quæ vera fides facili discrimine nosces
Qui falsus, tacitam cogitat inde fugam.
Aût tibi proponet, quanto verſetur in igne,
Cujus vicini jam caluêre Lares.
Hunc status, hunc chari retinent consortia nexûs,
Quo minùs in prisca se tibi præstet ope.
Non opus est multis; parvo molimine disces,
Si vel consilium, vel documenta petas.

Esse

Esse sibi natos, partamq́; per ardua famam,
Esse sibi curæ publica fata monet.
Nec vires, nec jura sinunt, ut duret eodem
Fædere, quo vinctus jam fuit ante tibi.
Vnde, quod insignes in te veneretur honores,
Aut quod opes non te quærit amare scies.
Vtilitas illos non mutua vincula stringunt,
Quæ dum succubuit, solvitur omnis amor.
Non secus ac validæ qui vites alligat ulmo,
Non ulmum, sed quæ pignora portat, amat.
Talis amicitiæ nexus cum munere cessat;
Exhaustis opibus, mentio nulla tui.
Fundamenta suæ cùm quis subtraxerit ædis,
An credes totam sistere posse domum?
Hinc quia muneribus similes fundantur amici,
Hæc si sustuleris, quis tibi fidus erit?
Imò, tui rebus succurrere gestiet hostis,
Si majora tuis mittere dona potest.
Iamq́; quod excerpsit, studijs melioribus illi
Offert consilium, prostituitq́; tuum.
Vertit in insidias, quos à te suxit amores;
Extrahit ex suavi dira venena rosa.
Ocyus evita venali fædere junctos,
Nam plumas retines non leve corpus avis,

Fallaces capiunt munera larga Viros.

 Aufugiet,

Aufugiet, poſtquam ſpes cedere ſentiet omnes,
Nudabitq; tuum quâ volet arte latus,
Aût ſi diſſimulat, certo te pignore vendet,
Hoſtis ubi longè præmia plura dabit.
Vincula qui ſolvi pretio majore popoſcit,
Eludet meritam compede miſſus opem.
Sic facili lapſu tectus ſolvetur amicus,
Qui tibi propoſitâ commoditate favet.
Hoc etiam paterer, ſi grato pectore condi
Scirem, quæ ſocius munera larga capit.
Sed, prout aſpecto ſiccantur ſole vapores,
Vt lachrimas madidæ non tenuêre genæ.
Sic avidæ, poſtquàm mulgendi commoda ceſſant,
Mnemoſynon gratam depoſuere manus.
Non tamen & largos ego prorſus damno favores,
Nam prodeſſe ſolent, quos data dona ligant.
Vel ſi non proſunt, ſatis eſt quod obeſſe remittunt,
Et ſic propoſitis eſt via facta tuis.
Impellunt faciles præſtantia munera mentes,
Ante velut Parius quæ riguêre ſilex:
Imò quod obſequijs, quod nullo ſanguine vinces,
Munera cum parvo ſæpe labore parant.
Phylliridam durum quidni molliveris auro?
Quamvis vix tangi ſemivir ille poteſt.

Nonnunquam largam profuit eſſe manum.

At

At certâ semper debent ratione profundi,
Non uno veluti proijcienda sinu.
Ne, simul exhaustum dono te viderit omni,
Cedat, cùm nil quòd speret, amicus habet.
Cum tribues aliquid promissis utere magnis,
Poneq; pollicitis tempora fixa tuis.
Sic repetita novo tibi crescet gratia vultu,
Illeq; gaudebit munus habere recens.
Quid si pauper erit, sed magnâ dote probatus?
Maxima sit virtus, incomitata jacet.
Hanc tu nî Lybico primus vestiveris auro,
Friget, & officijs vapulat ipsa suis.

Munera sic dona plùs ut præstare puteris.

ELEGIA V.

Quis diligat, quem metuit? aut eum à quo se metui putat?

P*Estis amicitiæ metus est, quo tacta peribit,*
Si non vulgaris, nec simulata fuit.
Nam perfectus amor nullâ formidine constat,
Et verus nunquam, si timearis, erit.
Raro diligitur rigidæ quem forte secures,
Quem nudo magnus sepijt ense timor.

Nempe,

Solvuntur quovis fœdera stricta metu.

Nempe metu quævis fiducia languet amantis,
Dum se postponi, destituiq; putat,
Vix tutò causæ quidquam committitur illi,
Quem tibi suspectum fama, vel ira facit.
Scilicet, in socios communia gaudia manant;
Nec quid, ut alteruter nesciat, esse volo.
Quod si contigerit tali dare vela profundo,
Tempestas semper prospicienda tibi.
Externo colitur ritu, pompâq; loquendi
Fucatâ charus, sed metuendus honor.
Et licet in verbis blandi vis eminet oris,
Omnia crede mihi sunt simulata nisi.
Hæc bona, dum leni ridet fortuna sereno,
Durabunt, pluviijs interitura Notis.
Tunc inopem primò te nosces omn... amici,
Cùm spes, quæ nexum continuêre, cadent.
Non aliter vallum rapidas quod sustinet undas,
Allambit placidis debile flumen aquis;
At simul à nivibus vires, vel ab imbre recepit,
Mox lacer ejecta rumpitur agger humo.
Quis se crediderit tuto, si quod pavet, instat.
Et sic confesso vincitur ipse suo.
Sit vacuum minimâ formidine pect s, oportet,
Quod volet arcanas explicuisse faces.

Nam,

Nam, si possedit gelidus præcordia tortor,
Sinceræ flammæ spes tibi nulla calet.
Promittent oculi pacem; cor in arma tumebit;
Frons blanda est, animus bella futura coquet.
Verba sonant plausus, sed mens convitia spirat,
Quô fit amicitiæ pessima causa tuæ.
Nam nihil est, pejùs miseros quod scindit amantes,
Quàm, si res aliquo suspiciosa metu est.
Qui putat à multis sua sceptra, genusve timeri,
Non nisi suspectis utitur ille bonis.
Nec sibi, quod tentant alij, persuadeat unquam,
Vt duret pressus mole timoris amor:

Non durat pressus mole timoris amor.

Scilicet, excludit socialia vincula ferrum,
Nec quis in armato se locat ultrò sinu.
Ac, aliter fruimur socijs, aliterq; Tyrannis,
Cogit ubi vulnus dissimulare timor.
Omnia conformi reserabimus atria cordi,
Quæ formidandis sunt inaperta viris.
Vndè pares animos fiducia mutua poscit;
Non feret, ut modicâ vi superetur amor.

Consimiles animos fiducia mutua poscit.

Thesea Pyrithoüs præstantis quærit honoris;
Cum quo spectrigenam possit adire stygem.
Iungitur indomito fortis Patroclus Achilli,
Qui Larissæo par caluisse sago est.

Par genꝰ & studium, socios conjungit Achates.

Sanguis, idemq; genus Pyladem conjunxit Oresti,
Quem tulit hospitio Phocis avita suo.
Par studium Pythiæ charum Damona ligavit,
Immotus sociæ qui necis obses erat.
At nimis, heu! raros pariunt hæc sæcula tales,
Quorum communis, vitaq; morsq; foret.
Quo desiderio fidos optamus amicos!
Quàm sincerus amor res peregrina solo est!

Verus amor, pretio gemmas excedit & aurum.

Hic tamen ut patuit, gemmas superavit & aurum,
Sceptra penes pretij deterioris erunt.
Scilicèt, excedit quævis solatia mundi,
Junctus inoffenso suavis amore comes.
Nil tibi vis morbi, nil sæva pericula Martis,
Nil mors, hoc nusquàm deficiente nocent.
Instar dulcis erunt absynthia Pontica mellis,
Et ceras Ithacas marmora dura ferent.
Aspera mollescent, siccabunt tristia vultum,
Et gravibus lachrimis nullus amaror erit.
Mors quoq; pars vitæ titulo meliore notanda est,
Dum caput in socio fas posuisse sinu;
Dum præsto est, tecum quosvis perferre labores,
Ipsaq; qui cupiat fata subire simul.

Imo

Imò licet duræ præscindant stamina parcæ,
Non tamen affectus vincula magna secant.
Post mæstos obitus in amato pectore vives,
Si bona, quêis semper diligerêre dabas.
Pars animæ siquidem fidus pensatur amicus,
Quæ nullo dici funere læsa potest.
Hinc prout æternis miscetur honoribus illa,
Sic omni verus tempore regnat amor.
Ast in eos solùm tantæ spes pulchra salutis
Descendit, nullis qui cecidêre malis.
Non ego Pompeî felicem Cæsare vitam
Dixero, quos fœdus connubiale ligat;
Sed parit invidiam Latiæ fortuna Curulis,
Ambitui toto pectore cedit amor.
Non Marium Syllæ conjunxeris omine fausto,
Quos tenuit Mavors, dissociavit honor.
Ipsaq; civili sensit Respublica clade,
Quam gravis est odij natus amore dolor.
Scire cupis, quali pingenda potentia vultu?
Quæ quod amat, metuit, vel metuenda placet?
Aspice compositâ cicures feritate Leones;
Dum lambunt fortem, quam timuêre, manum;
Si tamen ex cavea fugiendi capta facultas,
Vires in Dominos exeruêre suos.

Vitam dum tollit Lachesis, non tollit amorem.

Esse nequit major, sinceros inter amantes.

ELEGIA VI.

Verus amicus omnia honesta perpeti pro amico debet.

ARdua quæq; pati, rigidos contemnere fasces
Debet, amicitiæ quem movet ansa tuæ.
Nam quis amans posset sine firmo pectore dici,
Quem res adversæ, vel grave frangit opus.
Ille tibi vero connexus fœdere stabit,
Qui prout affectus sic mala quæq; tulit.
Nulli fortunæ, dum poscit res tua, parcat;
Nullis, dum poterat consuluisse, bonis.
Si labor auxilio? duros velit ille labores;
Si quid inest opibus roboris? addat opes.
Imò quâ servant homines, nil carius unquam,
Et famam, si spes emicat inde, locet.
Ipsaq; cùm semper fuerit communis amicis
Vita, bonæ socij sæpè litanda rei.
Talem jactavit quondam Cornelia Gracchum,
Quæ modo vixisset, maluit ipse mori.
Sic Numidûm sanguis nudo superincubat ensi,
Conjugis hac lethum Plautius arte gemens.
Iste licet nostri leges excedat amoris,
Qui parit eximij præter amare, nihil; Non

Sorsné favet, seû fata fremunt, nō mutat amicus.

Non ego prudentes illos censebo furores,
Et si fortè aliquid commoditatis habent.
Nam propè dementis non veri pignus amici,
Inferijs propriâ se tumulare manu.
Sed cùm res aliâ nequeunt ratione teneri,
Sanguine quàm fuso, vel nisi morte datâ;
Idq; bono Patriæ, justæq; in munere causæ,
Non cum pravus amor, seu gravis ira jubet.
Tunc decet extremo vitam committere letho,
Et propè fœderibus funera ferre pijs.
Vndè nihil poscas, ratio quod damnet honesti,
Et nullâ fulcit se probitatis ope.
Nam, qui vel superis, vel legibus irrita mandat,
Tollit amicitiæ debita jura suæ.
Limitibus recti sit circumscripta facultas;
Transgreditur fines, qui nocitura petit.
Non amat, aut tacito te prodere nititur astu,
Qui mox damnandum suadet inire scelus.
Odit, quisquis agit socios in crimina nexus,
Et caput infestæ seditionis erit.
Non tibi quid melius, sed quid sibi charius, optat,
Quod sub amicitiæ nomine stare nequit.
Nam, malè qui suadet nunquàm sincerus amavit,
Cum finis socijs debeat esse bonus.

Quid verò pejus? quid amicis tristius auris?
Quàm quoties scelerum pestis iniqua coit?
Fluctibus assiduis mens intempesta movetur;
Tranquillos animos damnat abacta quies.
Hinc par est hosti sociali nomine tectus,
Qui te quò non est fas animare studet.
Et speciem fictam veri mentitus amici,
Vincula consilijs fert inimica tuis.
Sic stultas volucres securus decipit auceps,
Cum viscum dulcis, quâ rubet, uva tegit.
Vt quotiès illas avidæ glomerantur ad escas,
Plurima velatis hæreat ala dolis.
Lex igitur studio venit hæc majore colenda,
Vt nihil à socio, quod fugis ipse roges.
Nil jubeas, quod jura negant, pariterq; rogatus
Excusa vires, obsequiumq; tuum.
Qui pecudum ritu, non quod rationis, & æqui est,
Sed quod persuadet sola volupta, petunt;
Nil tibi magnificum, nil ex virtute propinant,
Pignus amicitiæ vix meruêre tuæ.
Quippè furor potiùs, non vis hæc suadet amandi,
Vt quod amas, damnô prorsùs habere velis.
Nec quia res æqua est, sed quod tibi visa placere,
Per scelus, & quodvis insilienda nefas.

Fictus amans, vero sæviùs hoste nocet.

A socio nil tale petas, quod solus abhorres.

Qualiter

Qualitèr accensus rabie nil æstimat ictus,
Per ferrum properans in fera cæpta Leo;
Iamq; videt lateri, venabula sæva minari,
Non tamen aut acies, aut grave vulnus obest.
Sed postquam ratio temeraria facta retexit,
Serò, quod admisit, non pepigisse volet.
Undè tuo nunquam sic eijce fræna calori,
Ut cupias, quod abhinc oderis ipse brevi.
Devita socijs tales imponere leges,
Quæ mox damnari, destituiq; velint.
Nec jubeas, nec agas, quod vix perfeceris, horres;
Et multo famæ damna pudore luis.
Heu mihi! quo pretio, quali fervore colendi!
Quos pietas, & honor, res & honesta ligant.
Quorum sic mentes, & pectora fida parantur,
Vt nullas leges erubuisse queant.
Hic tua securis habitat fiducia rebus,
Hic arcana animi tuta latere scias.
Hos minùs expaveas, quàm te potes ipse timere,
Nec tibi plus credas, quàm ferat illa fides.
Illi solicitum faciles lenire dolorem,
Illi consilijs eminuêre suis.
Tristitiam mentis suavi depellere linguâ,
Aspectu solo fata domare solent.

Tales

Tales præsidio Patriam majore tuentur,
Quam muri, vel opes, vel numerosa cohors.
Nam clypei, clypeos; evincit machina vallum;
At partum nusquàm cedit amore decus.
Quos benè conjunxit privatæ cura salutis,
Res meliùs Patriæ sustinuêre suæ.

ELEGIA VII.
Multùm interest politico Viro benè nubere.

Esse suum tædis decus urget sanguis Avorum,
Et quo Regna vigent, connubialis honor.
Nam quòd habet claros florens Respublica cives,
Quòd Bellona viros, munus id omne thori.
Conjugibus Sanctis Regum fortuna tenetur,
Fama maritali fædere quæq; stetit.
Quis genus Isacium, quis nosset robora Iudæ!
Ni pareret Thario Regia Nupta Duci?
Romuleos fasces, quòd totus inhorruit orbis,
Iliaco manat gloria tanta sinu.
Victrices Aquilas Macedo quod junxerit Oetæ,
Causa triumphorum splendidus arsit Hymen.
Debe-

Debebant Hecubæ bellaces Hectora Troes;
Æacidam Matri Græcia tota Deæ.
Crevissent miseris procul improba monstra Colonis;
Ni suus Alcmenæ fertilis esset honor.
Et superos ingens forsan Briareus haberet,
Ni gavisa foret vindice Rhea Iove.
Vnde Maritales non sunt sine lumine tædæ,
Quæ claros Patriæ substituêre viros.
Sed quo majores referant hinc Regna decores,
Expedit ut certa sub ratione cadant.
Quæ tibi par opibus, titulos quæ sanguinis æquat,
Fœderibus rectè convenit illa tuis.
Quamvis à nutu citiùs pendere Mariti,
Nata statu mulier deteriore solet.
At quæ fumosâ fulcitur Imagine Patrum,
Et superat socij, Stemmata parva viri,
Tristibus imperijs uxoria jura relaxat;
Debebis Dominæ subditus esse tuæ.
Tardior obsequijs, gravior fit fœmina jussis,
Quæ tibi cognovit vilius esse genus.
Et quasi divitijs, non te junxisset amori,
Servum, non Dominum te feret illa suum.
Hinc animum, sexûs cognata superbia tollit,
Hinc genus, hinc grandes admodulantur opes.

Nunquã sponsales ardent sine lumimine tædæ.

Vt ceu mancipio non conjuge te velit uti,
Vir speciem famuli præferet, uxor Heri.
Quod nisi tunc laudes, fuso cum videris enses
Cedere, vel galeas succubuisse colo.
Cùm stola regales meliùs vestire lacertos,
Purpura dicetur jura subire stolæ.
Quis non miretur Lybico si cerva Leoni?
Si lepus imbellis jus det inane feris?
Si muscam volucres spretâ Iovis alite malint,
Imperium nidis imposuisse suis.
Hoc vir erit Dominæ patiens uxoris habenas,
Quem fastu toties despiciente gravat.
Quid juvit Nemeen? quid tot vacuare paludes?
Quid fera multorum frangere colla Ducum?
Si tinctam Alcides monstrorum sanguine clavam,
Subdidit Omphale servus & ipse suæ.

Non sic divitiæ thalamos prôut ditat honestas.

Vnde magis virtus probitasq. tenerrima morum,
Quam partæ thalamis aspiciantur opes.
Vltima cura tibi casti licet ardeat oris;
Forma est solliciti, credito plena metûs.

Quo magis excellit, magis indiget adstite forma.

Eximij fuerat Menelaj nupta pudoris,
Et tamen Idæo cessit amato proco.
Vultus erat crimen; vel non sic pulchra legenda,
Vel meliùs Regi constituenda fuit.

Rara

Rara est Penelope mollis cui gratia formæ,
Et casti mores emicuêre simul.
Quo plùs laudantur suavi radiare sereno,
Plus timidâ torquent anxietate viros.
Quot rident Charites, quot sunt in fronte voluptæ,
Tot figunt animo tela cruenta tuo.
Res quoq; forma brevis, parvo consumitur æstu,
Ipsa suo turpis tempore facta Venus.
Nec nimiùm blandam, nec verbis mollibus aptam,
Quæ multùm lædat corda subacta, velis.
Non quæ barbariem, moresq; professa solutos,
Desipiat turpi rusticitate tibi.
Sed nec, quæ nimiùm cultis est aulica verbis;
Rara verecunda est, quam vaga lingua capit.
Nam quoties animi, comi dulcedine certant,
Est aliquid quod ament, complaceantq; sibi,
Non teneram membris, ut erat Lædeja conjunx,
Provocat in raptus, dum favet illa suos.
Non nimis eloquio suavem, nè tot ferat ignes,
Quot fluit insuetis lingua diserta modis.
Nec rursus tacitam, cui nulla est gratia fandi,
Nam graviora feres damna silentis aquæ.
Ornatûs cupidæ, toto vix sufficis orbe;
Induit externas, quas adamavit, opes.

Incomptos mores garrula lingua probat.

Quæ cupit ornari, prodigit uxor opes.

 Prodiga

Prodiga munditiès peregrino servit amori,
Parca suo tantùm docta placere viro.
Cur oculos hominum gemmante libidine pascat?
Quæ satis eximio compta pudore sibi?
Musica cùm fuerit, laqueos in voce propinat,
Molleq; guttur agit, certa venena, procis.
Altiùs in pectus, quàm vox extollitur, intrat,
Et modulo dulci vis gravis esse solet.

Docta nimis, genium despicit uxor Heri.

Nolo nimis doctam; tales parere recusant,
Ingenioq; volunt cuncta subesse suo.
Nolo peregrinis suetam sermonibus uti;
Cum lingua *varius sæpè subintrat amor.*
Quam pietas ornat, quam rara modestia comit,
Illa maritales digna tulisse faces.
Hoc quoq; te monitum comperta pericula reddunt,
Ne credas Dominæ, quæq; silenda tuæ.
Ignoret conjux, quo vis secretius uti;
Arcanum mulier nulla tenere potest.
Legibus an sexûs prior hoc indulserat ætas?
Vt peccent in eos, qui patuêre sibi:
Quiq; putant illas servare silentia posse;
Se nimis incautâ prostituêre fide.
Quæ pluviam nubes crescentibus attinet undis?
Quæ ratis effractâ tuta natare trabe?

Quis

Quis se fæmineo securus credidit ori;
Et non est captus credulitate suâ?
Cura domûs prolisq; piæ magis occupet illas;
Quodq; statum tangit, nesciat uxor opus.
Otia proscribat; varios dant otia nævos;
Multis, dum vacua est, corde patente dolis.
Sit satis exemplo, Pompeja Cæsaris uxor,
Aut Agrippinæ non toleranda manus.
Hinc prout est facilis modo natæ inflexio plantæ,
Sic primis mulier, mentibus apta regi,
Quando novis durat permista modestia tædis,
Atq; recens necdum cornua sumpsit amor;
Tunc tibi conformes prona est assumere mores,
Quod multo posthac, fracta labore negat.
Quod si plùs solito nimis indulgebis amori,
Excutiet veniæ spes sibi certa metum.

Dum novus est, citiùs rectificatur amor.

ELEGIA VIII.
Educatio Liberorum Viro publico necessaria.

G*Loria quæ Patrum! quanti cum prole decores!*
Si par augustis instituatur Avis.

Dum teneræ mentes facili cessêre labori,
Curvari quò vis, dum nova planta potest.
Hinc benè formandum, quod agat maturior ætas,
Cum primo virtus lacte venire solet.
Nil ignoscendum, molles quod perderet annos:
Culmina de minimis itúr in alta vijs.

In parvis etiã grãdia damna latent.

Quid minùs est parvâ, quæ vix advertitur ulli,
Scintillâ, tepidos dum fugit illa focos?
At si mox pingui sumat de fomite vires,
Ignis erit, nullis exsuperandus aquis.
Mœnia depascet, saltus, urbesq; superbas,
Grande decus populi parva favilla teget.
Sic animas molles, vitij scintilla pererrat,
Quæ mox flamma nocens, nî reprimatur, erit.
Et jam nec toto posthac profeceris amne,
Cum major scelerum vis adolevit ibi.
Corruit omnis honor, frustra est laudata venustas,
Magnorum sterilis gloria facta Patrum.
Ingens est vitijs robur; quæ noxia, durant;
Crimina quando valent, vix potuêre premi.
Hinc quò fervidior puer est, tu fortior insta,
Ac admissuras crimina claude fores.

Flectetur studioquã tũvis ardua cervix.

Nil desperandum; franges, licet ardua cervix,
Si modò constanti colla labore domes.

Malleus

Malleus evincit ferrum; calor explicat ignis
Curvatas longo tempore sæpè trabes.
Difformes quercus ad formam regula cogit;
Cedunt, usus eas qualiter esse volet.
Quanto plùs animi rectæ consuescere legi?
Et quovis poterunt laudis amore trahi?
Flexilis est illis genius, mens dotibus apta,
Obsequitur liquidæ ceu vagus humor aquæ.
Illapsu roris steriles pubescere montes,
Vndis molliri marmora dura solent.
Sic licet austerâ non semper fronte mineris,
Suavibus hæc ætas paret adacta modis.

Tempe-rat insul-sos suavis correctio mores.

Mitescit feritas manibus palpata Leonum,
Quos magis in rabiem ferrea compes agit.
Ludit Colchitidis nudâ cervice Medeæ,
Serpens, in mollem sæpè recepta sinum.
Et licet, ut cuperes, non illico Cæsaris arma,
Aut Senecæ laudes, aut decus omne ferant;
Non ideò tristi, prorsùs tibi mente cadendum,
Non spes, ac animus proïjciendus erit.
Tempora component, quod mollior abnuit ætas,
Semina dum studij jacta fuêre boni.
Tardiùs ingenium, Torquatum infoderat agris,
Maturus Latias ense propagat opes.

Quis

Quis Fabio pejùs teneris desciverat annis?
Quid meliùs vidit Roma togata sene?
Sylla malus juvenis, Dominæq; inglorius Vrbi,
At vir bellorum munere fortis erat.
Difficiles animos lento medicamine vinces,
Si modò primævis sit data cura malis.
Semina quæ terræ venturo frigore, credis,
Densato brumæ mortua visa gelu;
At cùm ver Hædus, cum Sirius Astra relaxat,
Quantâ sæpè tui messe gravantur agri?
Sic licet alta jacent aliquanto pectora tractu,
Ac quadam toties improbitate rigent;
Non tamen admissam recti radicitus unquam
Tollere sementem per mala gesta queunt.
Vnde brevi teneræ regnante libidine mentis,
Mox redit, ad mores culta juventa probos.
Naturæ fateor, multos debere, quod in se
Ius habeant, virtus quòd sibi nata simul.
Hinc si pensemus pacem, felicior ille,
Qui nihil, aut parvâ mole videtur agi,
At qui proclives in prava negotia sensus
Accipit, hic meritis plus animoq; valet.
Plùs meruit duris qui moribus obvios ivit,
Quàm cùm quis bonus est; quòd malus esse nequit.

Naturæ multi debent virtutis honores.

Nempè

Nempè malignanti dederit qui fræna furori,
Herculeæ frondis dignus honore tegi.
Ille feras domuit; sibi victus & arduus ipsi,
Hic tulit exuvias, atq; trophæa sui.
Qui bona naturæ non certis legibus aptat,
A norma facilis degenerare sua est.
Vt mustum variat, quod ab ipsa dulcius uva est,
Durat, quando recens durius esse solet.
Multos agnatâ mentis probitate beatos,
Corrumpunt socij fœdera nexa mali.
At quos longa suis virtus exercuit armis,
Infracti quævis tela maligna ferunt.
Et quasi jam callum probitas induceret illis,
Nullâ seduci conditione volunt.
Quodq; magis laudes; naturam vincimus arte;
Corrigit assiduus jus geniale labor.
Quâ steterant sylvæ quondam stabula alta ferarum,
Nunc vibrant rutilum regia tecta jubar.
Alpibus imposuit cuneos, & saxa subegit,
Dum studet, insolitis Annibal ire vijs.
Si vis in colles armis est tanta, modusq;,
Quid non ingenijs ars erit apta suis?
Mollius est juvenum pectus, quàm Punica rupes.
Franges omne tuâ sedulitate malum,

Vincere naturam majoris palma triumphi.

Depravant rectos commerciare proba mores.

Naturæ nævos corrigit artis opus.

Hinc

Hinc tibi ſit curæ quali formandus Achilles
Phyliridæ, quanto tempore dandus erit.
Quoq́; loco; Patrijs vix eſt ſpes ædibus ulla;
Diſtrahitur notæ commoditate domûs.
Hæmonijs fuerat Pelides doctus in antris,
Nè quereretur amans barbara juſſa Thetis.
Hic magis exemplo quàm multâ lege tenendus,
Nec ferulæ, ſed amor ſuadeat omne bonum.
Non expreſſiſſet Zenonem, ſi verba Cleanthes,
Et non plùs animum diſceret indè ſuum.
Alcinoum cauto Laertes quærat Vlyſſi,
Cambyſes Cyro det Xenophonta Pater.
Is ſtudio quovis juvenilia pectora pulſet,
Vt, quo prona ruit mens ſua, ſcire queat.
Scrutetur vario lateat quid in indole ductu,
Vt premat, aut rurſus cœpta probata juvet.
Neſcit quem morbi ſuffugit cauſa, mederi;
Ignoto poterit nemo natare freto.
Candida mens facili ſeſe diffundit amore;
Contractæ frontis, qui ſimulatus, erit.
Hærent verba nimis, quæ prodi fortè putantur,
Et variat falſis, lingua retenta modis.
At quæ nulla ſtruit ſuſpectæ damna juventæ,
Largior effundi, dum nihil inde timet.

Impediunt ſtudium materni cōmoda tecti.

Flectitur exemplo citiùs quā lege juvētus.

Triſtis,

Tristis; tardus erit, vi quâdam expressa loquendo;
Lætius ingenium promptius esse solet.
Irati; tumidis similes torrentibus ibunt,
In mare spumosis qui rapiuntur aquis.
Mites; placatos imitantur fluctibus amnes,
Ad speciem taciti mente fluente vadi.
Moribus est facilis, qui mellea verba propinat;
Asperior; duræ frontis honore riget.
Qui levis est, nunquàm vultu constabit eodem,
Serius; innatâ se gravitate regit.
Suspensi est gestûs; nimiùm metitur quod infert,
Et jactat proprias ambitiosus opes
At qui compositâ studet ire modestior arte,
Plùs timidus, tenero sæpè rubore natat.
Frons, oculi, spirant, ac aspera verba ferocem;
Mollis; quod lædat, nil adhibere volet.
Deniq; quis posset pueriles tangere fastus?
Intimiùs nosces indole quemq; suâ.
Quilibet est aliâ tractandus lege magistri;
Non quævis varijs apta medela malis.

Indolis ad geniū juvenum natura regenda.

Non omnes morbos una medela juvat.

ELEGIA IX.

Princeps qualiter se geret erga Cives?

EXsuperas alios fasces majo: curuli,
Aut tua Principibus frons redimita mitris:

Pulchrius exornat virtus quàm purpura Regem.

Sic tibi vivendum, nè plùs à murice famæ
Quàm de virtutis nobilitate feras.
Esse suprà vulgus volo maxima Numina terræ,
Sed magis exemplo, quàm statione throni.
Hæc tibi sit ratio vitæ, quàm rarus adæquet,
Omnes pro norma legis habere velint.

Vita Monarcharum populo sit regula vitæ.

Quam tangant aliqui, cuncti laudare peroptent,
Nec sibi, plùs ultrà, posse vovere putent.
Est etenim Princeps, quædam censura scopusq;
At quem tota redit, dirigiturq; salus.
Est gentis speculum, recti quod format imago,
In quo civilis ritè relucet honor.
Nec sic imperio populum, quàm frænet amore,
Nam suspecta metus reddere scep a solet.

Non timor imperium, sed magis armat Amor.

Qui præerit cunctis, multùm contendat amari,
Quod virtus illi sæpè probata dabit.
Hæc suprà populum regalia sidera tollit,
Non Capitolinus qui superatur, apex.
Currus, & niveæ quem subvexere quadrigæ,
Inferior magnis dotibus absq; jacet.
At quem vel probitas, vel amor propè collocat astra,
Excessit summæ culmina quæq; spei.
Publica, sic Dominum ratio cêu propria tangat;
Nec sibi quàm populo, plùs velit esse boni.

Hoc

Hoc tantùm superat civilia pectora multùm,
Vt qui diligitur, plùs amet ipse suos.
Nobilior quædam victricis gloria palmæ est,
Cùm victos animos subjugat altus amor.
Hoc quoq; Principibus crebrò fervore recurrat,
Quod medio quivis vivit in orbe palàm.
Vndè nihil faciat, quod publicus improbet osor,
Dum sua cuncta ferè facta patere videt.
Nec possunt ullas mala Regia ferre latebras,
Quorum secretum prodit apertus honor,

Non datur arcanum vitijs Regalibus unquam.

Nil major fortuna tegit; patet area Regum,
Prodens augustæ quæq; retecta Domûs
Parva licèt nubes, quæ summa cacumina texit,
Omnibus est oculis illa notata tamen.
Nubila si Phœbum minimâ caligine celent,
Quilibet obscurum carpit ubiq; jubar;
Et qui flammiferos minùs observaverat æstus,
Defectum citiùs conspicit ille suum.
Scilicèt, ultrò oculos quævis fastigia replent,
Hinc magis aspicitur, parva ruina licet
Vndè nimis cautâ sese profundere luce;
In populum Reges, & sua Regna, velint.
Nam quidquid dicũt, quod agunt, vim legis habebit,
Exemploq; sciant cuncta venire suo.

Invitant animos, qui Regia facta sequuti,
In simili vitio sæpè placere student,
Sêu quod ament, sêu spes hinc quod dimanat honorum,
Si vitâ Dominum demeruêre pari.
Hinc prout accrescunt fasces, vis crescit amandi,
Quæ mala gesta sequi qualibet arte cupit.

Pronius in facinus ruitur, præeunte Dynastâ.

Pronius est vulgus pravos assumere mores,
Et vitijs Domini se cumulare sui.
Virtus quò major, minùs est imitabilis illi,
Vt Phœnix, probitas rarior esse solet.
Quid? si jam placeant vitijs? si præmia sperent?
Quantùm possedit compita quæq; scelus?
Quam formidabunt civilia probra securim?
Dum clypeum, quo se mox tueantur, habent,
Si damnet judex, solium damnare videtur;
Si plectat? Regis plectere facta putat.
Hinc quò plùs aliquis frænat conspectior orbem,
Tantò peccati grandior ortus erit.
Nam quod ab impuni plebis committitur ausu,
Illius ad mores, imperiumq; redit.
Corporibus regnisq; simul dolor ille malignus,
Qui caput afficiens cætera membra gravat.
Quid moror in noxis! quæ nec novisse deceret?
Nullaq; Majestas quæ vitiosa fuit.

Virtutis

Virtutis pretio Regalis purpura crescit;
Is verus Princeps, qui probus esse potest.
Vtq; suas fonti debent bona flumina dotes,
Sic decus omne pia Regis ab arce fluit.
Diligitur comis, quem blandæ gratia frontis
Civiles prorsùs flectit adusq; sinus.
Qui nullo calcat vulgaria munera fastu,
Et quasi pars hominum, non caput esse volet.
Qui rebus Patriæ gaudet, quem publica damna,
Et magis Imperij, quàm sua cura movet.
Inter opes Regum privatam ducere vitam,
Cêu foret ex ipsis Civibus unus, amat.
Communi fruitur mensâ, vestitur eâdem
Quâ populus suevit, Patritijq; togâ.
Non tamen in nimios sese diffundat amores,
Contemptum facilis gratia magna parit.
Negligitur, multâ Princeps bonitate remissus,
Effusas animi nî moderetur opes.
Hinc benè cognoscas, quali quis munere dignus,
Quem meritis vincas? quemvé rigore domes?
Sunt, quibus Augusti gravitas, moresq; Severi,
Ac instar magni Numinis, ora placent,
Sunt, quos fiscales poterunt nisi stringere mulctæ,
Et duris opus est, ut timeare minis.

Diligitur Princeps qui non cõtemnit amari.

Vilet Majestas, nimiâ bonitate remissa.

Inge-

Ingenuos, laudes & præmia Regia ducunt,
Illi crudeſcunt aſperitate jugi:
Serviles animos pœnæ formido coërcet;
Illi pejores, cùm tolerantur, erunt.
Obſequijs aptos, fruſtra tentabis amore,
Qui cogi, vel emi, lege, vel ære volunt.
Qui tamen, ut charus tractari filius optat,
Præſtari videat jura Paterna ſibi.
Non decet, amplexus turbæ civilis ad imum
Et ſi fas jubeat, præcipitare pedem.
Oſcula quæ populus juſto tibi figit amore,
Ore tuo reddas, non relevante manu.
Traiano ſimilis, qui civica pectora nunquàm
Ante ſuos paſſus decubuiſſe pedes;
Imò nec ad dextræ permiſerat oſcula civem,
Gentibus inclinans brachia grata ſuis.
Hoc tibi ſit curæ, nè regnet ſola voluntas;
Nè, quantùm liceat, mox inijſſe velis.
Magnæ mentis opus, quæ poſſis, plurima nolle,
Quid? quædam ſummi pars erit iſta Dei;
Perdere Rex Superûm, jacto nos fulmine poſſet,
Et tamen offenſas ſuſtinet ille manus.
Clementi ſtudio ſit circumſcripta poteſtas,
Deprimat excelſos fama modeſta thronos.

Excelſos demiſſa thronos clementia firmat

Da,

Da, faciles semper votis Civilibus aures,
Responsis nullam, fac, patiare moram.
Nè nimijs limen, vel Regia perstrepat armis,
Quò sit sic aditum plebs habitura gravem.
A solio nullum tenuis fortuna repellat;
Imò nec ipsa inopi clausa sit aula casæ.
Dum tibi res civis mulctâ, fiscoq́ domanda est.
Si cedat fiscus, gloria major erit.
Fisci, quis dubitet, semper bona causa triumphat;
Nî vinci Princeps optimus ipse velit.
Nil falsi tentes, humilem mendacia vulgum,
At Dominum vulgi mens generosa decet.
Quod spondes præbe; quidam ditissima verba,
Sed rem pænè odijs exhibuêre parem.
Pollicitis magni, sed missò munere parci;
Sæpiùs augustam prostituêre fidem.
Imperium exerce, quasi mox laturus, & ipse,
Sceptra dabis populo, qualia ferre voles.
Qui potuit tolerare jugum, benè ponere novit,
Qui dare jura potest, quod dedit, ipse feret.
Tardior ad pœnam, largo profusior auro,
Mansuetis opibus subdita regna tene.
Delictis ignosce fori; rubigine fasces,
Non populi fatis erubuisse decet.

Vera loqui Regum est; falli, vel fallere, plebis.

Hic benè sceptra regit, qui se putat ipse regẽdum.

Qui ſibi vult veniam, cõ donet & ipſe rogatus.

Ignoſci volumus nobis, cur parcere plebi?
Ac exoratos nolumus eſſe Deos?
Barbara lex alios ſi caſtigare volemus,
In quo jus nobis diſſimulare ſolet.

Patres non Dominos optat Respublica Reges.

Patrem, non Dominum tua te Reſpublica noſcat,
Miſtaq; ſint medijs aſpera verba favis.
Certet amor populi, nè plùs concedat amanti,
Tu cave, nè civis ſit quis amore prior.
Quod ſi contigerit faciles errare Coronas,
Perfer eos, lapſum qui monuêre tuum.
Ingens eſt faſtus, dum peccas nolle doceri,
Erroremq; alijs accumulare malis.
Hos, qui ſub galea longo ſudore calentes
Traxerunt ſenium, noſcere ſæpè velis.
Vt vel munificis compenſes prælia donis,
Vel belli varios experiare modos.
Eventu didicêre pati; caſusq; priores,
In legem Marti, ſubſidiumq; dabunt.
Qui bene pro Patria meritos egêre labores,
Sêu foris externo munere, ſive domi;
Sive togâ clari Divum implevêre Senatum,
Sêu quâvis aliâ conditione viri;

Præmia qui tollit tollit virtutis amorem.

Præcipuos referant meritæ virtutis honores.
Ad majora prior gratiâ, facta vocat.

Mune-

Muneribus magnis generosos militis ausus,
Ac inopes largo flumine tinge manus;
Principibus servare fidem jus imperat omne,
Nunquàm mutanda est utilitate tuâ.
Indignum sceptris promissum infringere fœdus,
Quod nimis ultores exigit usq; Deos.
Si quoq; quid spatij perfecta negotia cedunt;
Laxanda est modicis publica cura jocis.
Aût lusu, qui sceptra decet, quem suadet honestas,
Purpura quem nullo mista rubore subit.
Est aliquid dandum claris Annalibus orbis,
Qui stimulo magnis Regibus esse solent.
Iliadem Macedo docti volvebat Homeri,
Dum bellatrices subticuêre tubæ.
Vndè graves animos duri sumebat Achillis,
Aût sibi poscebat Pergama celsa dari.
Principibus lectæ multùm placuêre Camenæ,
Hæc precor, & nostris spes sit aperta metris.

Prodest, interdū studijs miscere quietem

Exstimulant Regum mētes, exēpla Priorum.

ELEGIA X.
Cives qualiter se gerent erga Principem.

IMperium quodcunq; dabit tibi summa potestas,
Officio gratæ mentis inire stude.

Iussa throni, sunt jussa poli, pariterq; colenda.

Iussaq; non Regum, sed divi Numinis esse,
Noris ab Augusto quæ sonuêre throno.
Quippè, vices superum Májestas quælibet implet,
Terrenos igitur quis neget esse Deos?
Et si vel parvis placantur Numina donis,
Obsequijs vinces sceptra timenda tuis.
At cùm sacra velis oracula temnere Regum,
Advertent audax fulmina justa caput.
Quod si nec pietas, nec virtus Principis ulla,
Turpeq; securâ regnet in arce scelus;
Sic quoq; parendum; nam si juga ferre recuses,
Incipis esse polo, desinit ille nocens.
Impia si jubeat? quid scis an talia cedant?
Et tibi nî peragas, ille timendus erit.
Si tamen in superos contra jus militet omne,
Prima DEI ratio prospicienda tibi.
Non meruêre fidem, cœlo quam frangere pergunt,
Undè palàm terris omnia regna fluunt.
Quis vetet armatis depellere viribus iram,
Quâ præter leges impia sceptra rigent?
Ius Domini; strictum qui ponere jusserat ensem,
Rex licet, Hæbream pulsus adire crucem.
Nunquàm bella licet violentis dicere sceptris;
Si nimiùm duro detonuêre jugo!

Servando

Servando gladium pro Principe stringere fas est,
At contra quævis improba causa foret.
Nam qui Præpositis, cœlo simul arma movebit,
Dum constat superas regna tenere vices.
Quiq; potestati dura cervice resistit,
Ipsa ferè reprobis pugnat in astra minis.
Quid si crudeli grassetur iniquior ense,
Et gravis in Cives sæviat igne suos?
Aspera barbaries humili vincenda querelâ,
Placantur leni Numina magna prece.
Mansueto gèmitu frangi solet ipsa Tyrannis,
Et mollit pressus vim feritatis amor.
Duritiem lapidis, quæ nullo vincitur igne
Pulvere, vel guttâ sæpè cadente teres.
Quid si nec lachrymæ, nec longa modestia prosit,
An tunc in Dominum fas dabit arma ferum?
Pulchriùs innocuo vitam deponere letho,
Quàm ferro sanctam rumpere velle fidem.
Nemo pius justam movet in sua numina dextram.
Quæ defendendo fert nisi tela throno.
Hæcq; bono semper sit maxima gloria Civi,
Morte suâ tutum reddere posse Ducem.
Sculpit in æterno relegendum marmore nomen,
Regia qui fuso sanguine sceptra juvat.

Bella movet superis, qui movet illa throno.

Nec cecidit vitam, sed Principis addidit annis,
Incolumem fato qui facit esse suo.
Vndè novam famæ, quæ nullo tempore cessat,
Incipit ætatem, sit sua lapsa licet.
Digniùs hic vivit, cujus data vita Monarchæ;
Cessit, & est vitæ pars quotacunq; suæ.
Si tamen extrà odium sub iniquo Principe velles,
Quòd grave, securos instituisse dies;
Nè nimiâ solio te consuetudine jungas,
Quæ solet immodicis pandere vela malis.
Exemplo flammæ quæ visa remotiùs ornat,
Sed propior totam corripit igne domum.
Perspicuos fasces, fastigia splendida Regum,
Longinqua potiùs de paritate cole.
Ignavus Rector medios rate fertur in æstus,
Temnens Æolias certa pericla minas;
At cautus, Siculas studet evitare Charybdes,
Nè tardè lapsam naufragus optet opem.
Quòd si depositâ tandem feritate juvari
Armorum studio, consilijsq; velit;
Hoc alacris facies; sed nè videare docere,
Regia, ne verbo, facta monere tuo.
Nec plùs quàm Princeps quidquàm te noscere jactes,
Et alijs quod habes, te didicisse feras.

Pars vitæ quædam est, pro Principe perdere vitam.

Tutiùs à longè fastigia sūma colūtur.

Doctrinā dare velle throno, res plena periclî est.

Consulti

Consulti Proceres sunt ornamenta Coronis,
Qui tam consilijs, quàm valuêre manu.
Quantùm Jasonio Grajus sinè remige Typhis
Tantùm Rex magnis proficit absq; Viris.
Nempè quod unius vires excedere visum,
Multorum parvâ mole levatur onus.

Consilijs Procerũ Regnabeata vigẽt

At semper timido murex tractandus honore,
Atq; nimis molli, res quasi sacra, manu.
Nè lædas, nè fortè queant, licèt optima verba,
Torqueri quovis in mala signa modo.

Prôut sacra res, debet reverentèr purpura tangi.

Si verò tanto Domini lætabere cultu,
Vt jam se credat, totaq; regna tibi;
Concedat populi regimen, toleretq; monentem,
Consilium quodvis approbet ille tuum;
Intima quaq; tuæ fidei committat, & unum
Te dotis magnæ jactet ubiq; virum;
Non tibi persuade, meritis ea præmia ferri,
Sed quod Rex animo sit nimis ipse bono.
Hinc res invidiâ gravidas, & munia vites,
Pacatum sequitur dira procella fretum.
Quantumvis rutilum confundunt nubila solem,
Sit licèt insignis gratiâ, sæpè brevis.
Ergo priùs, quæ sit Domino constantia, disce,
Vt penses, quanto tempore gratus erit.

Qui

Qui dedit in fluctus vacuam sinè remige navim,
Errat, si ventos credat abesse mari.
Imperium pelagi Neptunus tradidit Euris;
Vndè minùs speras, barbara surget hyems,
Hoc tibi nè tribuas, si quid felicitèr actum est,
Successus aptant Regia sceptra sibi.
Quod non ex voto pejor fortuna reliquit,
In te totius fulmina verte mali.
Nec solùm Princeps, sed quem tibi prætulit ætas,
Aut honor, abjectâ fronte colendus erit.
Omnes affatu blando dignare minores,
Omnes officio, muneribusq; cape.
Vt nec in absentem, quisquam sævire laboret,
Aut coram Domino det mala verba tuo.
Nam, sic ille suos vulgi sermone favores
Firmari gaudet, dùm quod amatur, amat.
Si quid in obsequio præstas, quo purpura vinctam
Se tibi confessa est, sæpè referre cave.
Vt nisi gratuitos quos confert, credat honores,
Et non in meritum cedere dona tuum.
Nec cultum, nec opes, nec tot servare ministros,
Concernit, pompâ nec radiare pari.
Est solio quævis suspecta potentia Civis,
Quælibet in se Rex surgere tela putat.

Undè minùs metuis, magis arduus advenit ictus.

Regibus adscribas dextra, sinistra tibi.

Si

Si quidquàm tacitus volvat sinè judice Princeps,
Nec patitur mentem corq; patere suum;
Scrutari cupidâ tectos indagine sensus,
Nè tentes; prodi Rex sua dicta putat.
Nunquàm, quæ non est, magnâ formidine terre;
In furias svevit Principis ire metus.
Imò si fuerint, minuenda pericula verbis,
Nè terrere magis, quàm monuisse velis.
Alta cui facilem variant oblivia mentem,
Ac inconstanti dicitur esse fide;
Rariùs hic verbis, nè jam concessa refutet,
Sed meliùs scripto conveniendus erit.
Illeq;, quòd dixit, poterit tibi retrò negare,
Si non plena suæ sint documenta manûs.
Deniq; non omni Majestas tempore clara est;
Non quovis tentat sidere nauta fretum.

Arcanos Regum scrutari desine sẽsus.

ELEGIA XI.

Primus Consiliarius Principis, qualiter sibi conciliabit favorem populi.

N*On minus est studium, populo, quàm posse placere*
Principibus, Civi magnus uterq; labor

Summus ubiq; labor populové thronové placere.

Imò coronatos citiùs vincire favores,
Numinis unius dote, vel arte potes;
At varios hominum sensus, quâ lege tenebis?
Quos divisa nimis spes, ratioq́; secat.
Et plerumq́; sibi scissis affectibus obstant,
Vt vix quis speret grande coire chaos.

Inter cōtinuos plebs dissona fluctuat æstu

Oceani tumidos malacia sopijt æstus,
Halcyones hyemem composuêre maris.
Ambiguum vulgus nullo mulcetur amore,
Et tunc sævit atrox, quando favere putas.

In medijs populi laceratur Galba triumphis,
Plaudenti factus scena cruenta foro.
Quiq́; vehebatur, lætâ cervice Senatûs,
Mox omni caruit triste cadaver ope.
Manlius obsessam defendit ab hostibus Vrbem,
Sanguine mox fœdat civica tela suo.
Nè nimiùm fidas, moneo, civilibus auris,
Si tibi res curæ, si tua grata salus.
Vix est; amplexus inter qui dormit amicos,
Dum sibi blandiri jus populare tulit.
Nam multi ferro, plures periêre veneno,
Paucis sponte mori, plebs furiosa dedit.
Scinditur assiduo motu; novitate superbit;
Præsentiq́; bono, despicit omne vetus.

Progenerant veteres plebi fastidia ritus.

Præteritas fastidit opes fervore novarum,
Sêu paret has fuso sanguine, sivè dolo.
Mansuescit quandoq; brevis sed gratia vulgi;
Ac in sævitiem prona redire suam.
Cæcâ mente ruit, nullo discrimine recti,
Aggere ceû rupto turbidus amnis eat.

Quæ nova sunt, citiùs posse placere puta.

Ceû mare, tranquillâ modò quod componitur aurâ,
In cœlum gelidas mox jaculatur aquas.
Cùm residet timeas placidi mendacia ponti,
Nemo procellarum navigat absq; metu.

Ut Pelago credis vulgo sic crede faventi.

Hic populi genius; damnando fluctuat æstu,
Sæpèq; melliferis miscet amara favis.
Vt facilis tua signa sequi, sic linquere certa est;
Deserit in media, quem comitatur, ope
Vult in eos totam culpæ deponere molem,
Quos validâ juvit seditione priùs.

De seruit proprios plebs vaga sæpè Duces.

Nil veri falsiq; videns, fas eijcit omne,
Si, quem per præceps illa sequatur, habet.
Et potiùs rapitur, quam ducitur in nova vulgus,
Ductori nimiùm credula turba suo.
Involat omne malum damni secura futuri,
Aggreditur, cujus pænituisse potest.
Hinc qui plebejos trahit in sua commoda sensus,
Non tàm vera animis, quàm placitura serit.

Quod sva dere cupis populo, differre caveto

Quòd tibi nè noceat, prior ardua pectora tenta,
Plebs erit hic scriptis prævenienda tuis.
Prima valent dubium flectentia semina vulgum,
Ac meliùs quævis in peragenda movent.

Fortiùs illa movent quæ sunt audita recenter.

Quòd jacitur serò vi tantâ pænè carebit,
Suadebis falsum, quod patet esse recens.
Si quoq; tentata est sparsis tua fama libellis,
Improba civili scripta repone stylo.
Non tamen ingenio populi te crede faventis,
Qui minimâ flecti suspicione potest.
Artibus his in te, ruptis exurget habenis,
Quas priùs in studium contulit ille tuum.
In Pelagi vitro, firmam quis struxerit arcem?
Incautos fugiens fallit arena pedes.
Is calor est vulgi; se supra despicit omnes,
Odit, quos nunquàm sperat habere pares.

Sæpè sub ingenuis mens latet atra genis.

Invidiâ gravidum circumfert bileq; pectus.
Et si blanditijs ora, genasq; tegat.
Vndè procellosos, si vis evincere fluctus,
Hanc prorsùs, quâ te lege monebo, tene.
Vt placeas populo, sit congrua sponsio factis,
Nè prodat sensum dissona lingua tuum.

Ceu magnes ferrum, sic ducunt commoda plebẽ

Fortunas auge; plùs hæ, quàm tangit honestas;
Propositâ vulgus commoditate favet.

Innubi

Innubi ſemper venientes excipe vultu,
Securos magnæ, retrò remitte, ſpei.
Omnes anteveni cultu; prior ipſe ſaluta,
Verba ferant faſtûs ſymbola nulla tui.
Communes admitte cibos; data pocula ſume,
Quæ tibi civilis porrigit ultrò manus.
Nec fugias unquàm convivia crebra rogatus,
Imò probaturus pectora ſpontè ſubi.
Quippè mero madidæ pandunt licèt abdita mentes,
Quæ ficto cultu ſobria verba tegunt.
Plebs prior ipſa bibat, bibe mox à plebe petitus,
Et non ex alio, quàm bibat illa ſcypho.
Non pigeat, ſi fortè tuis fuit utile rebus,
Infra grande tuum te poſuiſſe genus.
Munera conciliant animos; da munera lætus;
Pro donis alios ſponſio larga gravet.
Pollicitis alitur vulgus; quæ ſerius imple,
Intactam ſemper ſpe retinente fidem.
Sæpè tamen malis, quàm prodigus, omnia toto
Fundere pænè ſimul, munera magna ſinu.
Nam ſic præteriti poſtquàm ſenuêre favores,
Captatur dono plebs recreata novo.
Ingemuit ſatis populus? ſimul ipſe gemiſce;
Adverſis premitur? tu videare premi.

Conciliat populos innubis gratia vultûs.

Officio certet, populi qui curat amorem.

Munera diſcordes cogunt in fædera mentes.

Iungito præterea blandis solatia verbis,
Et quacunq; potes sorte juvare, juva.
Si contra placitum populi vis ire precesq;,
Né damnes voto prima petita tuo.
Sed potiùs magnæ propone pericula molis,
Quali, si fiat, res gravitate nocet.
Quot mala, quot sævæ nascuntur ab indè procellæ,
Quàm grandes sumptus spes propè parva daret.
Sic flectes animos, nè quid damnosiùs optent;
Servatâ in solium, Patritiosq; fide.
Quod si quorundam populus persuasus honore,
Destinet insidias, invidiamq; tibi;
Quære pares animo, vulgiq; favore valentes,
Qui non sint primis inferiore statu.
Hi doceant populum, quanto conamine certes,
Illorum studijs commoda quanta pares.
At contra proprijs primos incumbere rebus,
Et jam pressuros se graviore jugo.
Mox adimes totum simul incentoribus æstum,
Plebs cedet jussis officiosa tuis.

ELEGIA XII.

Judex qualis esse debeat in suo officio.

JUdice te nemo justâ succumbere causâ,
Aut sibi non latam conqueruletur opem.

Quò fit, ut affectus ac improba munera vincant,
Veneat ære gravi Iudicialis honor.
Nec meritis causæ, sed avaro creditur auro,
Cui pondus tribuit victa statera suum.
Sit quasi judicij lanx debita, mercibus istis,
Non pretio rectæ subsidijsq; rei.
Vnde nimis dextro socialia vincula ritu
Solves, d cretis dum cohibenda tuis.
Nullus amicitiæ flectat tua pectora cultus,
Non patitur molles curia sacra viros.
Et jam non hominem, sed quodquam vivere Numen
Te credas, positâ conditione soli.
Oblitus generis, cont. mpto sanguine Patrum.
Quod divæ legis, non quod amoris, age.
Non quod amicitias omnes te ponere vellem,
Vt nisi cum Lybicis sit tibi vita feris;
Sed cùm dilecti damnandum crimen amici,
Tunc volo te nexûs non meminisse tui.
Exue personam, quæ certo fœdere vincta est;
Et sacra D vinus vestiat ora rigor.
Dulciùs an Natis quidquam natura paravit?
Hos rigidus Bruto Iudice mucro f rit.
Imm mor esse Patrem, t. m raria colla securi
Subijc t, ut Patriæ causa sit æqua suæ.

Succumbit causæ bonitas, ubi creditur auro.

Terrenũ Iudex se putet esseDeum.

Iustitiæ sacro limine, cedat amor

Sanctiùs

Sanctiùs haûd unquam ſpirant oracula Regum,
Quàm Ferdinandi vox generoſa fuit.
Vt, res ancipiti quoties in limine ſtaret,
Sit potiùs Civi, quàm tribuenda throno.
Hinc, ſi nec ſolio Divus vult parcere Princeps,
Quanto majori jure premendus amor.
Iudicis officium, miſeros, inopesq; juvare,
Et partes victi, ſponte tenere rei.
Vt quod lex damnat, facilis clementia laxet,
Ac pœnæ ſtatuat, ſupplicijsq; modum.
Non minùs hic odium, vel jam veterana ſimultas,
Quàm favor, & quævis non bona fama nocet.
Hic ſemper Themidis ſacra procul exulet arce;
A primoq; ſtatim limine retrò meet.
Nam denſo rectam ſervat velamine mentem;
Nè quod juſtitiæ eſt ritè videre queas.
Affectuq; magis privatæ vincere cauſæ,
Quàm legum ſolito ſtare rigore volet.
Semper in obtuitu veterem jubet eſſe furorem,
Immemorem recti te faciendo ſtatûs.
Protinùs hinc omnes, quàmvis nocuêre, dolores
Arcendi, nullo mens ſit onuſta malo.
Nam quæ damnatum preſſit ſententia Civem,
Te rursùs ſimili jure gravare poteſt.

Ferdin. V.

Hoſtis juſtitiæ favor eſt, odiumq; vetuſtū.

Quô damnas alios, cave, nè damneris & ipſe

Sic

Sic captus tua damna feres, telisq́ patebis
Ipse tuis, aliud quæ petiêre latus.
Præterea duri cataphractum pectus Achillis;
Infractos animos Iudicis esse velim.
Vt sêu terribilis sedanda potentia Martis,
Immotâ quævis fulmina mente ferat.
Sêu quisquam gravidâ lances spe vincere tentet,
Altior hic omni munere, surgat honor.
Si certet facies cultæ prurigine formæ;
Nè cedat Veneri, plùs adamata Themis.
Mentiri lachrymas muliebria lumina norûnt,
Et doctæ insolitis fallere mille modis.
Si Princeps summos promittat purpura fasces,
Aut forsan Nato munia magna tuo;
Si quis inaccessis radiet splendoribus ordo,
Ad jubar omne ferè sit tibi cæca Themis.
Si consors dilecta petat, si filia Patrem,
Temperet ut leges ingeniosus amor;
Præcipuè cùm Ius casum concedat amici,
In quo Iudicibus ritè favere licet;
Ferreus hic perstes; facies adamantina vincat,
Mulctetur pænis, exiliové favor.
Attamen in faciles animos, mentemq́ benignam
Pronior, humanâ sorte gravatus eas.

Casus pro amico in Iure licitus.

Non quod justitiæ sua sit cassanda facultas,
Sed quod sint comi jura ferenda modo.
Semper enim Themidi comes est clementia Regum,
Quæ miti tractat vulnera cruda manu;
Obtunditq; aciem rigidæ plerumq; securis,
Vt feriat, sed non illicò colla metat.

Corrumpunt quâvis solidas data munera leges.

Hoc etiam legum jussu, cœliq; moneris,
Nè superent pectus munera quæq; tuum.
Offundunt oculos, quàmvis mollissima fulgent,
Excutiunt calamum, vix tetigêre manus.
Decretis pateat, non auro Judicis urna,
Quàm recto prorsùs claudit avara Themis.
Munera perfringunt muros, & castra triumphant,
Muneribus Cœlum sanctaq; claustra patent.
Vt volet, Acrisius munitas sepiat arces,
Has tamen aurifluis Iupiter intrat aquis.
Quidni sic validis succumbat Curia donis?
Quæ nisi vallari supplice plebe solet?
Qui semel admisit munus, quâ fronte negabit
In donatorem jura redire suum?
Libertas animi pretiosâ compede vincta,
Quomodo jam certi vincula solvet Heri?
Vndè tuâ potiùs pro libertate labores,
Nè sit venalis vox, calamusq; tibi:

Exulet

Exulet à ſacris infame curulibus aurum,
Et ſolus ſtipet Civica jura chalybs.
Majori forſan preſſus formidine Sceptri,
Credere non juſtæ ſi jubeare rei;
Magna tibi paſſim, nî damnes, bella parentur?
Et præter gladios, ipſe timendus honor?
Quò vereare magis, cingetur Curia telis?
Ac propè ſub ferro jus erit omne tuum?
Nulla tuam rabies jubeat diſcedere mentem.
Non tibi, ſit quamvis grandior ira, time.
Ipſe DEVS medijs te ſupportabit in armis,
Et Princeps magnam ſentiet indè fidem.
Imò decet potiùs crudeles ferre ſecures,
Quàm cogente metu, juſſa nefanda ſequi.

Impavidam mentem Iudicis eſſe velim.

ELEGIA XIII
Aulicus bonus quomodo ſe geret?

SI tibi, quæ dotes Aulæ, proponere coner,
Ilias eſt noſtris extumulanda metris.
Non igitur totâ fas eſt hic mole gravari,
Sed quod ſat recto novimus eſſe viro.
O! utinam nunc ſit, quæ lex duraverat olim;
Aulas argenti nulla cupido premat,

Nulla, quibus meritos virtus parat ardua censûs,
Mendicâ pulsent ostia magna prece.
Non regale genu, dextrâ famulante prehendat,
Aut prono Dominos vellicet ore pedes.
Qui potiùs partos forti conamine fasces,
Quàm, captos aliquo ferre favore, volet.
Sed nimis id rarum, servire paratior ætas,
Demittit mentem, sub juga quæq; suam.

Lenis adulātûm submissio complacet aulæ.

Blanditijs vincire thronos, mollescere verbis,
Expugnare animos calliditate, decus.
Limina supplicibus votis augusta teruntur,
Ad clausas vigilant, Nomina magna fores.
Patritium robur, propè maxima sidera gentis,
Infima posthabito sanguine jussa ferunt.
Nil imbres, nil terret atrox injuria cœli,
Frænat ab obsequijs nulla pruina suis.
Abjecto timidi vultu, genibusq; minores,
Quas debent meritis turpe precantur opes.
Non piget, ut placeant, quævis incommoda ferre,
Queruntur miseris perdita vota modis.
Sæpius in longam durat patientia noctem,
Dummodò quod sperat, possit adire bonum.
Sæpiùs insomnes oculos novus aspicit ortus;
En quantis constant gaudia parva malis!

Quod

Quod si jam liceat penetrare Palatia Regum,
(Illos hic tango, quos bona fama fugit.)
Quanta pudicitiæ non rarò damna videbis?
Quàm miræ fraudi cedit abacta fides?
Ignavæ mentis; quem justa modestia condit;
Compositus; nequijt nomen habere viri.
Expers; qui vero meruit candore beari;
Virtus; elogium simplicitatis habet.
Si minimis lædas; discordia pectora verbis
Æternus servat marmore sculpta dolor.
Si quid contuleris; puduit meminisse favoris,
Labitur in morem prætereuntis aquæ.
Majestas propensa tibi? dolus undiq; certat;
Impendet spolijs invida turba tuis.
Materies odij, summo placuisse Dynastæ,
Insidias pravus, quâ licet, arte parat.
Sæpè solent lassæ requiem sentire carinæ,
Non semper glaciat sævior ira mare.
Hic nunquàm placidis spirat malacia ventis,
Et quovis aulam tempore turbo ferit.
Fallere juratos scripto quoq; sanguine nexus,
Crescere per clades interitusq; probi;
Condere mente dolos, verbo nil tale ferente,
Promissis nullam velle tenere fidem;

Cognomen vitij virtꝰ sortitur in aulis.

Ceu mare; continuis agitatur motibus aula.

Esse probum scelus est, vitiũ laudatur in aulis.

Diverſos, qualesq́; voles affingere vultus,
Vtilitate ſuâ, gloria prima malis.
Non ſic multicolor varijs Iunonia pennis,
Et picto caudæ ſyrmate fulget avis.
Quæ totiès alia eſt, quotiès eſt viſa moveri,
Mentitumq́; oculis jactat ubiq́; jubar.
Hic jam quos olim ſcopulos vitare ſtudebis;
Quæ tibi tempeſtas effugienda, vide.
Si ſtatus, & ratio patitur, ſecuriùs illud
Declinare foret, quàm ſuperare fretum.
Sed, quoniam claris inſtat domus alta Trophæis,
Vt tibi vicinum demereare Thronum;
Principibus notos ut agas bonus Aulicus annos,
Fulſurus Patriæ mox Pater ipſe tuæ;
Vita tibi careat vitio, ſinè labe pudoris,
Numinis aſſiſtat miſtus amore timor.
Omnibus imprimis comi dulcedine morum,
Et nimiùm fidâ mente placere, ſtude.
Nemo famosâ ſe læſum voce queratur,
Nemo ferat calamo vulnera facta tuo.
Et ſi quid nôſti, dum Principis æſtuat ira,
Non tunc, ſed placido ſidere cuncta refer.
Idq́; nimis dextrè, nè plus tua verba nocere
Poſſint, quàm ſeries urgeat ipſa rei.

Aulā quis quis amas aularum dogmata diſce.

Rari-

Rariùs id facies, odijs ne carbasa pandas,
Accusatori perniciosa suo.
Laudibus indulge potiùs, laudaberis indè,
Et lentâ requie mutuus ibit honor.
Si quoq; vincendus, (prout evenit ;) obtigit hostis,
Qui tua diversis ictibus arma petat;
Neglectu facili gravitas calcanda malorum,
Et quasi non nôsses, hostis amandus erit.
Non te serpentis spumantia toxica lædent,
Nî propiore premas aspera colla pede.
Sic quos distrinxit gladios, bonitate retundes.
Crescet amicitiæ grandis arena tuæ.
Munera prætcrea Comites domuêre superbos ;
Quæ largo fundas in tua vota sinu.
Nam si munifico plueris modò sæpiùs imbre,
Nullus propositum, qui remoretur erit.
Qui dare scit, non qui ferro grassatur, & igne,
Imperium gratæ mentis habere potest.
Non tamen hoc omnes offundere flumine fas est.
Sed prodesse tibi, qui vel obesse, parant.
Delectum faciat comitum prudentia, nè quis
Immeritus, socio plura merente, ferat.
Pluribus est opibus, majori munere dignus,
Cujus amor dederat pignora mille sui.

Si locus est primus, postremâ parte recumbas,
Fortunâ quamvis inferiore tuâ.
Nec velut ad Latium decurreretur Asylum,
Præ reliquis avidâ sedulitate voles.
Demissis proprios sensus exponere verbis;
Ast alios nullâ carpere lege decet.
Sæpè genus comitum, nunquam tua Nomina lauda,
Invidiam magnâ nobilitate paris.
Quidquid agis dextri, nè pleno gurgite jactes,
Sed grandes ausus extenuare stude.
Quod nocuit socio, matura silentia servent,
Quod laudes meruit, lingua diserta probet.
Facta tibi, nullas patiantur damna querelas,
Et quævis hilari vulnera fronte tege.
Res aulis propria est, magnos simulare dolores,
Ac summâ gravius pace tulisse malum.
Nec semper nimius retegat tua pectora candor
Frons, animo similis, non satis apta tibi.
Nam si scire videt, quod te ignorare putabat,
Pars adversa novos concipit inde dolos.
Sic tua de manibus propè spes elabitur ipsis,
Quæ meliùs poterat te simulante capi.
Si quoq; non notos expiscaturus agones
Hostis ab oppositis, ad tua castra venit?

Sêu bona, sêu mala sint meliùs peragenda silēdo

Quantum

Quantumvis blando ludat ſermone timendus;
Nil quod habes certi diſſere, nilq́; nega.
Principis ingenium, quosvis cognoſcere nutus,
Scrutari mores Aulicus omnis amet.
Obſervare Deos in quam propenſio partem,
In quos affectus pronior ire, ſtude.
Quo pacem, quo bella modo, quo tractet honores,
An pluris Tyro, quàm veteranus ei eſt?
Clementes animi potiùs, quàm ſæva Tyrannis;
Aut contra placeat? ſeria? ſive joci?
Omnia fortunæ metuens fera tela malignæ,
Concipe, nè Domino deſpiciâre tuo.
Crede mihi, rectè fuerint ubi cognita ſceptra,
Eſſe poteſt conſtans, & benè certa ſalus.
Largior eſt iræ? caveas illidere rupi;
Mollibus eſt Princeps ira ferenda modis.
Si quoq́; jam læſit, vulnus tibi cedat amicè;
Paſſum te, quamvis cæderis, ipſe nega.
Munera ſi Princeps, licèt illa leviſſima præſtet,
Pro grandi quævis Numine ſemper habe;
Quæ donant illi; magno voluêre referri
Fænore, quod magnâ ſint data dona manu.
Negligis? indignum cenſet majoribus arrhis,
Contemptumq́; ſui nominis ipſe putat.

Certa ſalus famulis, genium noviſſe Dynaſtæ.

Munera Magnorum magni penſare memento.

Hoc etiam moneo, nè quid niſi grata loquaris;
Et quæ ſunt Domino ſemper amata tuo.
Quidquid aget lauda; nil ſic erit usq; nefandum,
Omni quod prorsùs laude carere queat.

Conſultor Regum non erit absq; metu.

Conſilium petijt? plùs hîc tibi molis, & æſtûs,
Quam ſi per flammas, aut freta vaſta ruas.
Quidquid enim dubijs jactat fortuna procellis,
In conſultoris detonat omne caput.
Et licèt inſidijs eſt intercepta facultas
Propoſiti, damno cedet utrumq; tuo.
Hinc quoties ſuades, in utramq; reducere partem
Conſilium ſtudeas, eligat ille prior.
Vt ſic eventus, qualem dabit alea belli,
Non te, ſed Domini juſſa probata gravet.

Nemo ſecurus Regum ſecreta ſub intrat.

Eſſe cupit ſoli quædam ſibi cognita Princeps,
Et cives aulæ pænè latere ſuæ.
Hæc nullo ſtudio reſcire ſagacior unquàm,
Nè quid cognoſcas, quod negat ille, velis.
Si tibi committat ſoli mandata, taceri
Quæ voluit, magnâ credita redde fide.
Principis affectu, velut ipſis utere flammis,
Urunt, ſi nimiùm proxima facta manus.
Conſule Sejanum quàm lubrica gratia Regum,
Quàm doluit chari libera lingua Cliti?

Auguſtæ

Auguſtæ nullo tentetur fama ſuſurro,
Nè quâvis odium Principis arte pares;
Molliter evincit, quæ narras, falſa fuiſſe,
Et tua vix tutis vita feretur aquis.
Deniq; quo Zephyrus, quò Nimbifer adjuvat Eurus,
Apta fortunæ vela parata tuæ.

ELEGIA XIV.

Nobilis qualiter ſe gerat?

ILuſtres Proavos genus immortale Parentum,
Fæcundo genitrix dat tibi magna ſinu;
Iunge ſimul claris virtutum ſidera Ceris;
Plùs hinc, quàm Patrij luminis, indè feres.
Quippè prior ſuperûm nos propagavit origo,
Authorem mundi novimus eſſe Deum.
Hinc, quoniam virtus tulit inter ſidera cunas,
Prima tibi quâvis nobilitate venit.
Poſteriùs manat generoſi ſanguinis æquor.
Quodq; nimis notum Ruſticus author erat.
Vndè quod Auguſtis jam nunc effulgurat aſtris
Principium dederat patrius omne ligo.
Tot faſces, tot ſceptra rudi debemus aratro,
Patritias chlamydes duxit avita colus.

Virtus ex ſuperat nobilitate genus.

Nobilis ex humili ſtirpe propago fluit.

 Inde

Inde pari serie Majorum gloria fluxit;
Omnis de parvo cespite surgit apex.
Quali Pompejus genus exorditur Asylo?
Romulus atq; Remus quo genitore sati?
Nonnè diu Siculæ fortunam incoxerat ollæ
Has quàm libaret Rex Agathocles opes.
E pastoritio Cyrus capit arma mapali,
Et premit Arsacidas, quo priùs arva jugo.
Opilio fuerat David, cui nobile vellus
Portarunt propriæ, quo tegeretur, oves.
Imò nihil fermè fastigia Regia tollunt,
Quod non ex humili traxit origo casâ.
Vnde velut primi magno conamine Patres,
Auxerunt generis Numina parva sui;
Sic tibi Patritios famâ majore triumphos,
Non æquare modo, sed superare, decus.

Non tituli, nec opes Genesim, sed ditat honestas.

Quod si concipias opibus, vel sanguine clarum,
Ignavæ nimiùm sæpè fuisse notæ?
Quid genus, aut rutilæ talem juvêre curules!
Si quo fulgeret, non habet ipse jubar!
Hoc quoq; perspicuo vitium solet esse Nepoti,
Vt securus opum, negligat omne bonum.

Ignavos reddit fortuna relicta Nepotes.

Et sic, quas longo tenuit sudore paratas,
Ipse parùm solers dilapidavit opes.

At

At qui non magnæ sortis sibi conscius, ipse
Quo caret, hoc nimio sæpè labore parat.
Quid te sceptrifero Drusorum sanguine natum
Iactas? si desunt Drusia facta tibi?
Quid de nobilibus, celsæq; Parentibus aulæ?
Si per plebejam degener ibis humum?
Non tua, quam memoras, sed virtus illa Parentum,
Hæredi nunquam cedit ab asse suo.
Nemo potest in opes alienæ surgere famæ,
Nec decus id scribas, quod fuit ante, tuum.
Excelsæ mentes titulum transfundere possunt,
Non ea, quæ forti gesta fuere manu.
Iupiter ipse genus dederat, non astra Lyæo,
Cûi pro fulminibus thyrsus, & uva fuit.
Hectorides parvus vasto foret acer Vlyssi,
Si ferret cum ipso semine facta Patris.
Tullius Ausonium perstrinxerat ore Senatum.
Vix suus ad caules filius aptus erat.
Hesperides plantas non fulvi stipitis ortus,
Ast ea quæ pariunt, aurea poma juvant.
Quantâ luce parens insecta minora propagat!
Non tamen hæc possunt solis honore frui.
Sic Patrij mores non accessêre Nepoti,
Si nimis obscuri pectoris ipse jacet.

Qui jactat Proavos, alieno jactat honores.

Quippè lacertosi nervos, & membra Gigantis,
Quis poterit pumilæ frontis adire puer?
Non magis, ac magnum si quis jactaverit illum,
In summa rupis qui regione stetit.
Accidit hoc illis, qui celso stemmate fulti
Majorum laudes, non sua facta canunt.
Vnde stude potiùs proprio florere decore,
Quam canâ veterum messe tumere Patrum.
Sint Proavi stimulo, non mentis causa remissæ,
Te quasi securum laudis habere velint.
Quodq; tibi fuerant illi, tu grandibus armis
Exemplum seræ posteritatis eris.

Qui splẽdere cupit, propriâ sit luce decorus.

Laude minùs dignus quem non sua fama recenset,
Sed fert pro meritis signa Paterna suis.
Quot victas acies, quot prælia fausta subivit?
Non quàm multa suos ornat Imago lares.
Quantus consilijs? quali spectatur honore?
Quo studio? solum nôrit id esse decus.
Sunt tibi majores Fabij, tu maximus esto;
A se, non Fabijs hoc tulit ille prior.
Virtutes veterum renovet tua fortior ætas,
Diffundatq; suas in retrogesta faces.
Vt non tam patriâ videaris luce beari,
Quàm Patrius splendor lumen habere tuum.

Post-

Poſtquam gentiles meritis ſuperaveris auſus,
Cunctos ſubmiſſo vince favore ſimul.
Sêu quos par altis nutrit fortuna trophæis,
Sêu quos inferior deprimit, æqua tamen.
Hinc alios gratæ ſtudio, candoreq; mentis,
Munificis alios dotibus ipſe præi.
Hos tibi captivet laudata modeſtia vultûs,
Subjuget hos animos illabefacta fides.
Quos minor attollit cenſus; clementibus aſtris;
Quos major; famulo prorsùs amore doma.
Sic alio fiet, virtus exercita Patrum,
Poſteritas alio Nomine, grata tibi
Ingentes titulos, & quævis culmina vinces,
Nemo tuâ veniet nobilitate prior.
Sæpiùs obſcuris velavit arenea telis,
Auguſtas facies, ſculptaq; geſta Ducum.
At virtus humiles evincit ſplendida nubes,
Ac ipſos fermè librat adusq; Deos.

ELEGIA XV.

Militis boni Officium.

QVantus honor populi, quanti ſunt urbibus ortus?
Metiri claro Martis ab enſe juvat.

Militiæ

Militiæ res ſacra polos, & Regna tuetur;
Defendunt magnum bellica tela Jovem.
Iam propè devictus Briareo ceſſit Olympus,
Martia dum captos vindicat haſta Deos.
Sub galeæ ferro, tutæ latuêre coronæ,
Purpura ſquammato regnat amicta ſago.
Gloria Sceptrorum gladijs innititur; optant
Ferratâ carpi regia poma manu.
Quidquid habet magni, validis id Roma Quirinis
Debuit, Vrbanas miles adauxit opes.
Quod ſua victrices exercent jura ſecures,
Pacatos quod agat Curia Sancta dies;
Laus immenſa fori, doctæq; induſtria linguæ;
Præſidio fortis pænè ſtetêre manûs.
Creverunt armis Latij, gentesq; ſubactæ,
Iura priùs Martis, quàm petiêre Togæ,
Tunc benè conſulitur, tunc ſunt rata juſſa Senatûs
Cum pavet armigeros terra, fretumq; viros.
Imperium Spartæ ſteterat virtute Laconum,
Quos aluit crudo Martia lacte Soror.
Hâc quid ego caſtris in re præſcribere poſſum?
Quo mihi formandus nomine miles erit?
Qui potiùs factis, quàm mavult legibus uti;
Ferro non culti dicitur arte ſtyli.

Belligeri faciunt florida regna Viri.

Sunt

Sunt tamen & canones, ad quos benè Tyro regetur;
Æacides Threſſo debuit arma ſeni.
Hoc igitur monitum ſe miles noverit omnis,
Vt parere magis, quàm properare velit.
Non inquirendo multùm, ſed juſſa ferendo,
Belligeris meliùs res fuit acta viris.
Armis invigilet miles, Dux conſulat; & quo
Hic jubet, infractis paſſibus ille ruat.
Fortiter in quovis animus diſcrimine ſtabit,
Qui Ducis in patria juſſa quiete tulit.
Vndè licèt præſens non incubet Vrbibus hoſtis,
Bellorum ſtudijs miles alendus erit.
Nunc quâ tela manu, Geticus quâ flectitur arcus?
Nunc explorandum, quis celer ibit equus.
Ad quos ſtare gradus? quo ſumere tempore pila?
Quo deceat ſcloppos exonerare modo?
Qualiter exploſis hoſtiles rumpere turmas
Pyxidibus? quali cedere retrò pede?
Quod ſi deficiat majori robore fractum
Cornu, quas vires, auxiliumvé dabit?
Quis melior campus, quâ fallitur arte Gradivus;
Noctis? an auroræ fauſtiùs itur ope?
Qualiter in foſſam vicinus ducitur amnis?
Hoſtis quâ meliùs parte petendus erit?

Quo simulare fugam? quo fas excurrere calle?
Omnia continuis usibus ille paret.
Assuescat tolerare nives, pluviumq; Tonantem,
Sub dio placeat capta, brevisq; quies.
Sæpiùs æratâ cingat testudine pectus,
Exercenda gravi brachia sæpè sago.
Durius excipiat rorantia tempora saxum,
Somnum, quem rumpat vel levis aura, ferat.
Non decet, ut speculum picti probet unguina vultûs,
Militis ut molles tingat amoma pilos.
Vt splendor trabeæ Cilices exhalet odores,
Aût aurem calidâ perforet Indus acu.
Ipsæ etiam rudibus laudantur Amozones armis,
Quæ nisi neglectâ bella tulere comâ.
Talibus instructus studijs, nihil æstimat hostem,
Aspera non metuit miles inire loca.
Insolitus quamvis, illi labor impiger omnis,
Adversas acies se benè tutus obit.
Collibus abruptis ut plano cespite pugnax,
Ex omni referet pulchra trophæa situ.
Optimus esse solet, quem non alit area mollis,
Nec largo recreat munere pingue solum.
Sed steriles glebæ, multoq; labore domandæ,
Patria cûi tellus asperitate riget.

Montibus

Montibus & saxis assueta recentior ætas,
Ingenium terræ duritiemq; trahit.
Quiq; priùs duris spinosa ligonibus arva,
Ille pilosa Getæ cædere colla potest.
Exusti longis cœli sudoribus artus,
Fortius in castris arma, famemq; ferunt.
Quippe ferè similes nativæ corpora terræ,
Succos ex ipso pænè tulere sinu.
Arduus est, duræ quem tellus indolis egit,
Ignavus sequitur mollia jura loci.
Quis plùs, quàm plumam Lædeo speret ab ovo?
Fortius est aliquid, quod bona Pyrrha jacit.
Spuma levis pelagi muliebria numina gignit,
Deucalionæus pectora dura silex.
Id verò miles magno conamine quærat,
Vt Ducis imperium servet ubiq; sui.
Quas acies frangat, quo certet in ordine primus?
Quando manîplarem ferre, referre pedem?
An ruat in præceps, an lento robore pugnet?
An lateat? prorsùs noscere cuncta velit.
Fortunam dubio, virtutem munere certo
Æstimet, & grandi prælia mente petat.
Nec plùs exuviæ, quam civica gloria possit,
Pectus in hostiles exstimulare neces.

Nativæ genium terræ gẽs exprimit omnis.

Quæ fractos monſtrent animos, ſuſpiria nulla
Quamvis accepto vulnere, pænè dabit.
Nec nimis inſultet victo truculentior hoſti,
Abjectos ipſa prætcriêre feræ.

Victorē in victos parcior ira decet

Non ſemper placuit Marti furioſior Ajax,
Parvaq́; laus Danais eſt lacer Hector equis.
Ignoſcit fatis quem mens generoſa cóercet,
Et novit dubijs prælia ſtare Dijs.
At qui per cuneos ferro graſſàtur inermes,
Exhibet ignavi maxima ſigna metûs.
Hic quoq́; dum calidum deſpumant pocula Martem,
Plùs linguâ ſuevit quàm valuiſſe manu.
Bellaces menſas epulis, velut hoſtibus armat,
Et pingit fuſo prælia facta mero.

Corde refert leporem, qui jactat voce Leonem.

Sed raró fortes qui pugnavêre diſerti,
Quærunt à verbis, quod negat ira, decus.
Quem plebeja domi ſignis adſcribit egeſtas;
Aût in bella reum, juſta ſecuris agit;
Hic prædâ potiùs, quàm clari Nominis æſtu,
Tangitur, & turpi certus abire fugâ.
Is melior ſumptis, qui famam quærit ab armis,
Quem genus & Patriæ debitus urget amor.
Qui nimiùm ſervire timet, cui vulnera laudi,
Qui potiùs voluit, quàm fera vincla, mori.

Cujus it hostili perfusus sanguine sanguis,
Nullaq; cùi clades prorsùs inulta fuit.
Non minùs est pietas, quàm magni pectoris ardor,
Armis auxilium, præsidiumq; suis.
Securus medios miles properabit in hostes,
Quem nullus scelerum, vel stygis horror agit.
At cui præsentes errant pro crimine pœnæ.
Non nisi cum magno conserit arma metu.
Impavidâ quasvis tolerabit mente ruinas,
Cùi mors, cêu felix portus in astra fuit.
Sic igitur sanctis animum virtutibus imple,
Ut speres palmæ præmia certa tuæ.

Fortior est miles qui pietatis amans.

ELEGIA XVI.
Ducis militiæ institutum.

E Ducis auspicijs castrorum gloria manat,
Qui plùs consilio, quàm furor ense potest.
Excidium Trojæ Thetio debebat Achilli,
Quod, tot tentavit Græcia fulta viris!
Nam timidis etiam certa est victoria cervis,
Si ducat validus bellica signa Leo.
Antigonus, numero quem major vicerat hostis,
Se pro mille alijs dixerat esse Ducem.

Sub Ductore bono, miles bonus esse tenetur.

Rex Macedûm, parvo densatum robore Persam,
Suppetijs stravit Nominis ipse sui.

Delecto meliùs succedũt milite bella.

Esse tamen curæ magnis Ductoribus optem,
Vt benè delecto milite bella gerant.
Quæ gens robustos? quæ tellus educat acres?
Quæ parit audaci pectore terra viros?
Qui meliùs tolerare sitim, qui frigora possunt,
Sub sua sollicito signa labore legat.
An Tyro bellax? an jam veterana reportat
Vulnera? sub quali cæperat arma Duce?
Quot tulit hostiles, quanto sub pulvere campos?
Vt, quo quemq; loco possit habere, sciat.
Quos visus sanguis majori concitat irâ?
Quos data succendunt vulnera bile novâ?
Qui, cum conciderint, infractâ mente triumphant,
Et propè deflexo conseruêre genu.
Qui, cùm fortè suum violentior abstulit ensem
Impetus, erepto dimicat ense tamen.
Qui spe telorum captâ, vel morsibus hostem,
Vel pugno victum sternere, certus erit.
Tales munificâ studeat conquirere dextrâ,
Et compos palmæ Dux erit ille suæ.

Fortius agrestis, quàm civica dimicat ira.

Vrbanis opibus torpens, & languida virtus,
Et raró belli mascula facta subit.

Ardua

Ardua contemnit molli innutrita quieti,
Post tot delicias quis labor aptus erit?
Rustica pauperies plùs in mala quæq; vigoris,
Plùs habet ad quævis damna ferenda minæ.
Hinc titulo semper tribui prælata Quirinæ,
Rustica gaudebat nobiliore tribus.
Et fermè summum detrito à vomere robur,
Aût à rurali fama ligone venit.
Hos lege militiæ, vis durat major in illis,
Quæq; fuit rastris, ensibus apta manus.
Nec nimis exangui marcentes frigore cani,
Nec nimis impubi flore juventa placet.
Viribus ac animis, non denso milite pugnes;
Sæpè sibi numerum vidimus esse gravem.
Thermopylæ quanto defensæ robore Graijs?
Persica tercentis castra morata viris;
Quantâ Mithridatis memoratur clade Lucullus?
Bissenis Asiæ millibus arma domat.
Certior est palmæ, galeas ubi Spiritus ingens,
Et non multa aciem, sed bona signa replent.
Id quoq; non scitu tantùm, sed Principe dignum,
Serviat ut vario lecta sub orbe manus.
Sic tua per vastas fundetur gloria gentes,
Sic fluet externo sanguine palma tibi.

Turpe senex miles, nimiumq; tenella juventus.

Virtus non numerus, palmaribus apta triũphis.

Pulchrior est varijs miles collectus ab oris.

Ingressus

Ingreſſus terram, quàm bello frangere pergis,
Sumes hic natos ad tua caſtra viros.
Sic proprio parcens, alieno milite vinces,
Teq́ʒ ſuis telis gens ſubigenda premet.
Oppugnare decet conſertos hoſtibus hoſtes.
Victrici palmæ laude manente tibi.
Nè tamen ipſe tuis rurſus perimaris ab armis,
Aût aſtu populi proditus eſſe velis.
Terrigenas illos patrijs interſere ſignis,
Vt major pubis pars ſit ubiq́ʒ tuæ.
Diverſis etiam populis, diverſa cupido
Creſcit, pro magno gentis honore ſuæ.
Sic quos accendit ſtimulo Ducis æmula virtus,
Fervidiùs quævis prælia ferre ſolent.

Ferro nō auro rigidos Mars quærit Alumnos.

Arma ferat miles, quæ non fulgentior auri,
Sed durus chalybis jactet in aſtra nitor.
Nè plùs adverſo, quàm ferrum porrigat hoſti,
Quem prædâ gravior ſæpiùs urget amor.
Non tamen aut nudos, aut vili gauſape tectos
Artus, belligeri pectoris eſſe velim.
Squallida pauperies generoſos obruit æſtus,
Et ſibi contemptis, mitior ira viris.
Creſcit ab induvijs animus, leviorq́ʒ com atæ
Caſſidis ambitio, quid grave mentis alit.

Dux

Dux bonus invigilet, nè militis absq; labore,
Laxetur nimijs spes tumefacta bonis.
Otia proscribat; longâ rubigine putres,
Nativum gladij deseruêre jubar.
Quantùmvis habiles, marcent torpedine mentes,
Ac ingens robur vita subegit iners.
Non minùs in bellis, quàm pactæ in limine pacis,
Per galeas calidus scutaq; sudor eat.
Et quos ex acie referat, priùs ipse triumphos
Ex exercitio discat habere suo.
Quomodo concurrat? quo telo reprimat ictum?
Quâ tollat, quâ mox arma reponat ope?
Quid cautus fugiat? quid aperto Marte sequatur?
Miles, ubi pax est, sæpè docendus erit.
Quem Mars, Arsacius, quem vis non fregerat orbis,
Otia Pellæum deposuêre Ducem.
Si tamen est aliquid dandum pro more voluptæ,
Hanc nisi, quam sudor concomitetur, ames.
Iactibus hastarum, vel Achivi pulvere campi,
Luctâ, vel gladijs castra probanda tibi.
Aut natet in pluvio, cui fortia brachia, miles;
Non semper pontes littora magna ligant.
Aut domet alipedem fræno cogente caballum;
Nè vires laxet desidiosa quies.

Enervãt quamvis, infractas otia mentes.

Bellorũ leges cõdiscat pace juventus.

M Congrua

Congrua tu meritæ propones præmia fronti,
Sit benè donatus militis ille labor.
Armillas, torques, phaleras manus aurea fundat,
Aut ager, aut Getici dent grave munus equi.
Si quoq; pro Patriæ ſtudio quid fortius actum eſt.
Civica, muralis, geſta corona beet.
Fortiter occubuit palmari vulnere miles?
Illius referat ſerta, relicta domus.
Gaudeat officijs, & avito Natus honore,
Spes ſic eſt alijs inijcienda viris.

Eſt merces forti debita, pæna reo

Vt merces fortem, reprobos ita pœna ſequatur,
Qui mandata ſui poſthabuêre Ducis.
Et potiùs timidi, quàm vincere, cedere malunt,
Atq; manus hoſti ſpontè dedêre ſuo.
Patritijs equites ſpoliat Calphurnius armis,
Qui dederant turpi terga premenda fugæ.
Non tamen excedant graviores crimina pœnæ;
Mulctis, non gladijs, excidiové cadant.
Etſi, nè nimiùm privata licentia ſerpat,
Aſperiùs poterunt facta minora premi.

Unum quando ferit, nō unū pæna cöercet.

Non quod delicto par eſt ea plaga patrato,
Sed quia mox illo turba retenta metu.
Sic, licet unius furtum pavonis, inultum
Tiberio, cæſi non fuit enſe rei.

Alterius

*Alterius monitu rapti pro crimine galli,**
Ascia pœnè decem sternere jussa viros.
Si verò tumidas voluit producere cristas,
Si gravis est motâ seditione furor;
Non tibi res sana est, rabidis concurrere turmis,
Densaq; præsenti sistere tela manu.
Quis bonus adversos nauclerus frangere fluctus?
Aut contra voluit, tendere vela, Notum?
Sed cùm directâ sulcare pericula prorâ
Non valet, obliquum porrigit ille latus.
Cedendum ventis, rabies toleranda Gradivi,
Donec eas sedent munera sparsa minas.
Collisi lapides, vel certæ incendia flammæ,
Reddunt, vel magno sæpè fragore sonant.
Non igitur validi cùm succrevêre tumultus,
Tam citò componi vi, precibusvé, queunt.
Sed si venturas optes superare procellas.
In primo fervens littore nosce fretum.
Cùm nova seditio, facili subvertitur arte,
Quod magnis posthac viribus aucta, negat.
Hinc nihil in seram patiendo crescere messem,
Principio quævis semina tolle mali.
Vel si jam natum, viridi tumuletur in herba;
Sic ictu modico maxima damna metes.

* Pescennij Ducis teste Spartiano.

Non bene componit vis impetuosa tumultum.

Principio quævis semina tolle mali.

Quidquid in hoc casu rigidæ fecêre secures;
Nil sævæ, licet est, asperitatis habet.
Nam potiùs parvo mergenda in sanguine clades,
Quam si multa gravi funere regna gemant.
Crudelis pietas, nocituro parcere collo,
Dum sic averti tota ruina potest.

Dux prudens, casum sit circũspectus in omnem.

Dux bene perpendat, quali de fomite flammæ?
Quo stimulo rabies seditiosa coit?
Si locus asperior? mutanda est bellica sedes,
Explanat mentes mitior aura feras.
Si metuenda fames? ratibus vehat undiq; fruges;
Bellonæ robur nutrit amata Ceres.
Si prolata diu meriti stipendia Martis?
Ocyùs ex omni gente petenda tibi.
Et licèt ex toto nequeunt pro munere solvi,
Ex aliqua saltim solvere parte stude.
Quodsi nec parti vacuata æraria regni
Sufficiunt, & res milite grandis eget;
Indulge prædas cuneis ex hoste petendas,
Aût castrense dato pignore robur ale.
Spe tibi mulcendæ vires, quas denegat aurum,
Sustineat magnas sponsio fortis opes.
Aût emungendi, quos vincis mercibus agri;
Hostis fortunæ consulet ære suæ.

Et

Et potiùs certò redimet ſtipendia cenſu,
Quam totis ſubeat bellica jura bonis.
Sed quia vis motûs clypeo dependet ab uno,
Is tibi, qui caput eſt, ſollicitandus erit.
Plurima promittes ſedandis dona procellis,
Præ reliquis ipſi munia ſumma Duci.
Spem veniæ certam, quantoq́; pericula damno
Impendent, tanto munere redde vices.
Sed dum compoſiti paulo ſiluêre tumultus,
Præmia, quæ dederas, ſunt retrahenda tibi.
Officijs nunquàm dona majoribus illos,
Qui caput accenſæ ſeditionis erant;
Nam ſic audaces alios tua gratia reddet,
Et mens ad motus prona redire ſuos.
Arma tibi ſemper quærendæ dedita paci,
Non belli aſſiduis ſunt adhibenda malis.
Non ut per bellum captes nova bella, necesq́;,
Sed pax ut populo ſit reparata tuo.
Nec ſic eſt magnis perdendus cladibus hoſtis,
Ut nec vel cædis nuntius eſſe queat.
Imò viam potiùs ſignis fugientibus offer,
Nè deſperato robore victus eas.
Tigribus; aût pardis ſimilis furor arma prehendit,
Et cæco medios inſilit enſe viros.

Qui caput eſt, & origo mali, prior ille petendꝰ.

Quæ pacem pariunt, hæc optima bella eruntur.

In despe ratis est major casibus ira.

Spes siquidem vitæ quoties præcluditur omnis,
Maluit alternâ quærere morte, suam.
Si verò fortes alias tibi proditor arces
Reddidit, officij captus honore tui.
Vtere sic illo, quasi mox quam fregerat hosti,
Sit tibi fracturus, more priore fidem.

Nunquã fædifragis est adhibenda fides.

Nil illi fidas, illo nil indice tentes,
Et procul à castris prorsùs habendus erit.
Aût si, vel Nati, vel dedita sit simul uxor,
Arctiùs est signis illa tenenda tuis.
Vt si vir fallat, penset sua crimina consors,
Aût proles fraudem pendat adempta suam.
Attamen in quosvis ingens clementia victos,
Ac hilaris vultûs dona serena fluant.
Vulneribus, morboq; graves solatia curent,
Tractetur magnâ plaga cruenta manu.
Ipse velit Ductor languentes febribus artus
Tangere, dissectas ipse ligare genas;
Abstergat tepidum dextrâ victrice cruorem,
Fortia, spe plenis laudibus, arma probet.
Nec pudeat, grandi dejectum vulnere pectus,
Militis in proprios sæpè levare sinus.

Lenius est vulnus, quod Dux circumligat ipse.

Sic alijs animos, illi nova robora reddet,
Vt plùs jam speret pro Duce posse pati.

Præcipuè

Præcipuè largo si munere vulnera penset;
Et cruor auriflui fonte lavetur Hebri.
Murice si tecta est bello quæsita cicatrix,
Aût radiet gemmæ fulgure cæsa manus.
Ante Duces gaudet forti decumbere letho,
Si quæ mox capiat, præmia miles habet.
Vndè nimis facili pensanda est fænore virtus,
Quæ semper donis crescet adaucta tuis.
Sed tunc præ primis majori munere certes,
Adversas acies cum propè miles habet.
Cùm bellatrices Aquilas in prælia ducis,
Et raucâ clangunt classica fausta tubâ;
Singula præteritis animentur pectora gestis,
Attollant avidos præmia magna viros.
Hunc spè sublimi, meritis insignibus illum,
Cunctos alloquio dona ferente move.
Nominibus pete quemq; suis ea prælia lauda,
Quæ quondam forti sustinuêre manu.
Hos clypeis, hos ense tibi, missisq; sagittis.
Illos concilia fulgidiore sago.
Quos inopes pejor belli fortuna reliquit,
Vestibus, & multo rursus honore leva.
Sic animos cunctis, sic fortia pectora reddes;
Sic poterit facilis palma virere tibi.

Præmia bellige-ras stimulant ad prælia dextras.

Sed

Sed præter cunctas Ducibus quas ponimus artes,
Prima ſit, æterno bella referre Deo.
Non minùs in caſtris, quàm Cœli gloria, templis,
Aſſiduo vigeat thura cremante Duce.

ELEGIA XVII.

Legatus Principis quomodo ſe apud exteros Reges gerat?

ARdua res, totum Patriæ quæ ſuſtinet orbem,
Legati dignas poſſe tenere vices.
Hoc decus ingenti pennas propè mole fatigat,
Nec ſatis exponi qualibet arte poteſt.
Nam non à calamis, nec ab aucto codice legum,
Sed trahit ex ipſa re, meritoq́; ſtatum.
Sunt tamen & certi, qui claudunt æquora, fines;
Eſt modus, Ægeæ quo ſuperentur aquæ.
Et licèt Æolios nemò cohibere furores,
At vitare ſuâ Navita lege poteſt;
Eminùs advertet, ſcopulì quâ parte minentur;
Si retegat lucens invia ſaxa Pharos.
Sic quamvis vaſto tantum natet æquore manus,
Id tamen à cauto remige jure feret.
Inſtructus geminis Majæ Caducifer alis,
Exhibet, ut volucri res eget iſta viro.

Legatus partem ſit circũſpectꝰ in omnem.

Scilicet

Scilicet in quasvis Orator flexile partes,
Ingenium causæ pro ratione geret.
Dum quæ pro regno, quæ contra tela parantur,
Impiger amplecti, vel removere cupit.
Nam certus quæ fert, sed, quæ mandata reportet,
Ignarus, causam præcocitate juvat.
Vt propiùs rem tangat acus, gravis illa potestas
Eximijs omni traditur arte viris.

Insignes doctos q; viros Legatio poscit.

Quos studium Patriæ, quos lux commendat avita,
Et nullâ vinci dote, metuvè queunt.
Qui valido poterunt spem sustentare lacerto,
Quorum præsidio publica tuta salus.
Talem Sidonij viderunt Tydea Reges,
Cûi totam Imperij credidit Argos opem.
Cùm nil proficeret facundæ munere linguæ,
Se solo Lernæ prælia tota stitit.
Sed quotiès illis dantur mandata ministris,
Hæc capit augustâ pagina scripta manu.
Idq; fit, aût causam secreti lege tegente,
Aût, cûm res toti publica facta foro.
Imò solent ipsis hoc munus credere verbis
Sceptra, quibus constat Civis aperta fides.
Cum nota est magni mens Oratoris, & ardor,
Omnia communi prospera velle bona.

Sic ubi Romani vires conantur Achæas
Solvere, quos fecit res sibi juncta graves;
Imperio vocis, transfundunt Civibus omne,
Quod socias Vrbes dissociaret, opus.
Hic, urbs dum quævis pro libertate laborat,
Vi magnâ Græci; Roma soluta metu.
Non tamen est eadem cujusvis gloria causæ,
Quæ datur appositis, re variante viris.
Nam qui totius portant molimina Regni,
Maximus est illis, jure ferendus honor.
At quibus unius commissa provincia causæ,
Expletâ cessat munus, honorq; viâ.
Res etiam varij decernitur indole motûs,
Et certò Regum, consilijq; statu.
Vel pacem, vel bella sonat, vel fœdera sancit,
Vel robur socijs auxiliare petit.
Aût quoties Patrium novus eluctatur in orbem
Hæres, & jussis occupat arma suis;
Aût ubi ferali defletur purpura luctu,
Regnaq; mortali vulnere victa jacent.
Sive triumphales, dum cæsis hostibus, ignes,
Accendit Regi subdita pompa suo.
Sive maritales celebrat dum Regia tædas,
Augustis soboles nascitur alma thoris.

Orator

Orator tantis ſolet intercedere rebus,
Sêu luctum populi, sêu pia vota juvet.
Hinc opus eſt, magnis ut dotibus affluat ille,
Qui Regni molem, conſiliumq; feret.
Sancta fides animum, nullaq; ſolubilis arte,
Robur, & intactus pectoris ornet honor.
Nam quis in enervi ſecurâ mole lacerto
Nititur? in putri perdita fronde quies.
Martis inexpertem, quis iniquo preſſus ab hoſte,
Tyronem belli juſſerit eſſe caput?
Quævé rudi Navis tutè commiſſa Navarcho,
Qui triſtes Hyadas, nec mare novit atrox?
Quis ſe crediderit medico? cui cognita non ſunt
Pharmaca, nec meminit quid valet herba potens?
Vndè nimis longo virtus exercita niſu,
Officium tanti muneris apta feret.
Quem priùs in duro gravior fortuna labore,
Quem nullus fregit turbo, minæq; fori.
Aſpera qui ſimili, cêu mollia pectore portat,
Certus it abruptis culmen in omne vijs.
Cûi frontem, centum civilia ſerta coronant,
Is tantâ dignus mole miniſter erit.
Scilicet, hæc tenui nunquam credenda vigori,
Quæ male ſi cedant, irreparata cadunt.

Exigit expertã Legati functio mentem

Quæ res Herculeum poſcit nervoſior armum,
Non bene Therſitæ, debilibusq́ʒ datur.
Ut grandes valeant humeri ſufferre ruinas,
Tententur parvo ponderé ſæpè priùs.
Nam ſi deficerent, alius ſupponere collum,
Atq́; rei lapſæ vim cohibere poteſt.
Quod Patriam æternis premit irreparabile damnis,
Non niſi maturo robore pondus eget.
Sic quoties Princeps Legati munere quenquam
Ornat, ſæpè probet, quid valet ille, priùs.
Quo ſtudio Patriam, quo ſe defendit honore?
Quali ſuſtinuit juſſa minora fide.

Privatis quicunq́ʒ ſtudet, male publica curat.

An ſua poſtpoſuit civili damna ſaluti?
Privatâné magis commoditate calet?
Plùsné ſibi ſtuduit, quoties in utrumq́; dabatur
Ire latus, Domini conſilijsnè ſui?
Nam qui parva tulit docili molimina mente,
Ille pari poterit maximâ ferre fide.
Ingenij ſublime decus, prudentia rara,
Sunt Oratoris dona venuſta boni.
Vt cum diverſos, quàm detulit ipſe, favores
Senſerit, à ſubita Pallade quærat opem.
Si pigrâ Reges, ad quos eſt miſſus arenâ,
Ire videt, ſenſu ſit piger ille ſuo.

Si

Si faciles voto; totis mox viribus uti,
Vt flectat solium, consiliumque sciat.
Quo ferat affectu, si quid non cesserit aulæ,
Quo vitet medio tela parata sibi.
Quo mentem tumidam possit sedare tridente,
Quâ, si difficilis perstitit, ire viâ.
Omnia quæ tanti conatum muneris implent,
Sedulus amplecti, vel reprobare sciat.
Talem Tyberius tulit hæc ad munia Drusum,
Si quid ad externos jussit ab Vrbe Duces.
Nemo tamen prudens, nisi longo cautus ab usu,
Nemo pati novit, qui mala nulla tulit.
Hinc plùs judicij, toleratis casibus, hauris,
Quàm Chiron, vel te lectio multa, docet.
Prosperiùs currunt, qui jam didicêre ruinas,
Quas vitent, læso quæ nocuêre pedi.
Certiùs attingunt commissa negotia finem,
Rebus ab expertis, quàm rationis ope.
Vndè senes potiùs, durisque laboribus acti,
Aptiùs orabunt, quàm juvenilis honor.
Quamvis & tenero plerumque est gratia flori,
Atque recens largis fructibus undat ager.
Scipio quantus erat, gentes cùm fregit Iberas?
Cum bellace manu Punica signa fugat?

Ille sapit melius rerum cui longior usus.

Quis Macedo? totum cum milite terruit orbem,
Et pressit grandi Persica sceptra jugo?
Pompejus juvenis Medos attriverat arcus,
Mitridatis pingvi jugera cæde replens.
Verùm rara venit, tanto sub nomine virtus.
Sæpiùs his ætas mollis inepta fuit.
Quod si judicij senium, matura juventus
Attigit, ignavo præficienda seni.

Arcanâ docuit Legatos mente beari.

Arcanâ decuit Legatos mente beari,
Ne quid agant extra, quod siluisse volent.
Et levitas hæc est, animo majore domanda,
Consilium cuivis velle patere suum.
Is Patriæ curas apto tractabit honore,
Cujus erunt tacitis pectora clausa seris.
Nam cùm tota salus orantis pendet ab ore,
Quanto, si laxa est, vulnere lingua nocet!
Interitus populi verbo (quis crederet?) uno
Esse potest, subitâ quod levitate volat.
Scilicet adversæ patefacta pericula parti,
Spem palmæ certam, captaq; signa trahunt.
Consilium minimo nutu malè prodere, vinci est,
Dum patet, infirmum quâ petat hasta latus.
Hinc etiam flammis, quod rarò est, digniùs uri,
Quàm secreta sui, pandere velle Ducis.

Vidit

Vidit eos olim Pompeij Gentius ignes,
Nè tectum Romæ prostituisset opus.
Belligeram potiùs torreri lampade dextram.
Maluit, obstrictam quàm temerare fidem.
Est quoq; non parvi, modo rem metire, momenti,
Ne quid ad externas siveris ire manus.
Ne sit is à calamo, quem fert exotica tellus,
Raro secreti perstitit ille tenax.
Muneribus cedet, si quæ promiserit hostis,
Prodet, quæ sacris tecta fuêre rosis.
Vndè ferè meliùs, quamvis grave forte videtur,
Vt tua conficiat publica scripta manus.
Nam quis Regnorum curas, Patriæq; salutem,
Servo, non calamo crederet ipse suo.
Quantumvis mundus, servi tamen ille character,
Plùs Majestatis, dat tua dextra schedæ.
Quo fit, ut incoctæ, primoq; in limine crudæ,
Sæpè revelari res, animiq; solent.
Præterea nullo corrumpi munere dotes,
Nullis averti te patiare minis.
Sed magis appretia divi mandata Senatûs,
Quàm magnas hostis, quæ numerantur, opes.
Sit Curius stimulo, quem multis flectere donis
Samnites, votis nec potuêre suis.

Non bene res Patriæ peregrino cedit agenda.

Legatũ nec opes nec terror flectere debẽt

Fictilibus

Fictilibus Tubero vasis, & paupere mensâ,
Despicit Ætoli munera missa Ducis.
Sic ubi divitijs aditum præcluseris omnem,
Iam poteris Domino fidior esse tuo.
Cujus ad ingenium totam componere molem,
Fas erit, & jussis invigilare suis.
Quod spondes, metire priûs num reddere possis?
Nè tua pollicitis sit labefacta fides.
Ne quoq; de proprijs cogaris censibus, illud
Solvere, quod, populo reijciente, voves.
Non ex mente Patrum, dum spondet Maximus hosti,
Distractis pretium ferre coactus agris.
Quæ tibi signantur, magnis conatibus imple;
Ne nimiùm præceps, nevé remissus eas.
Utendum medio; cêu lentæ frigora mentis,
Sic æstus suevit pectoris esse nocens.
Principis ingenium, cujus descendis ad aulam,
Ornatis verbis, officioq; tene.
Offendunt tumidi sensus; nisi fortè minari,
Ac jussu Domini dicere bella velis.
Sin secus, arcendi primo de limine fastus;
Nam plùs irritant, quàm sociare solent.

Dura

Dura nocent duris, nec ſaxis ſaxa cohærent,
Nî molli calcis vi coaleſcat opus.
Inceſſu, geſtuq́ decus gentile triumphet,
Miſtus lætitiæ temperet ora rigor.
Blandæ vocis honor, ſed tanto munere dignus,
Absq́ levi fuco, nec muliebre ſonans.
Cultus erit trabeæ patrius, non extera veſtis;
Et tua te potiùs, quàm Toga Graja tegat.
Turba gravis comitum, numero ſtringenda minore,
Cur tot conſpicuos pompa fatiget equos?
Ordine cur tanto, currus, famuliq́ rotantur?
Circumeunt, oculi ludicra ſcena vagi?
Fama brevis, ſed damna domûs æterna vetuſtæ,
Exhauſtas luxu ſæpè queruntur opes.
Ternis Hiſpanas ſervis Cato permeat oras,
Quem ſtupet auriferi territa ripa Padi.
Æmilius ſeptem ſtipatur Scipio vernis,
Cûi bis dat faſces Vrbs Tiberina ſuos.
Nominis ille potens clypeo, famæq́ trophæis,
Se, ſatis auxilij credidit eſſe ſibi.
Quid? quod in hoſtiles quamvis deſcenderit agros,
Regius Orator nulla periclâ timet.

Hos,

Hos etenim veteri communia jura rigore,
Res inter Sanctas conſtituêre viros.
Cur igitur denſis opus, eſt cingare catervis?
Si ſecura tibi quâlibet aula patet?
Cætera pro modulo gentisq́; throniq́; gerantur,
Plurima diverſi temporis ordo docet.

PIUS CHRISTIANUS.

Spiritualis & Pij Christiani est, unam tantùm salutem ob oculos sibi proponere, atq; ea, quæ ad hanc ducunt, plurimi facere, quæ autem ad illam nihil adjumẽti adferunt, ut vilia nulliusq; pretij aspernari; ob eãq; causam, id, quod in aspectum cadit, pro nihilo putare, id autem unum spectare, atq; in eo laborare, ut interna optimo, & pulcherrimo statu sint, eaq; magni æstimare, ex quibus ipse quam optimus futurus sit.

Nazianzenus Orat. 29.

LIBER IV.

Suſpiria

PII CHRISTIANI.

ELEGIA I.

Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum. *Pſalm.* 6.

ÆStuo, me miſerum! febrilibus æſtuo flammis!
Infirmas carnes fervidus ignis edit!
Sicca laboranti concreſcit lingva palato,
Atq; ſitim recreans humor, ab ore fugit.
Oſſa pari flammâ, quam ſi fornacibus Æthnæ,
Aût ſi torreret Syria flamma, calent.
Augetur vis ſumma mali, nec ſanguinis uſus,
Nec valet aſſvetis vena meare vijs.
Sectaq; vix nigri veſtigia parva coloris
Exhibet, & certa eſt funeris ipſa mei.

Pallor in ora fluit, morientia lumina languent,
Ægraq; vix tenuis ſuſtinet oſſa cutis.
Deſipiunt epulæ, bili ſuffunditur atrâ,
Si quis toſta mihi fertur in ora cibus.
Fons pro vite placet, ſed quo plùs haurio fontem,
Plùs ardens urit pectora noſtra ſitis.
Vix inſtillatâ revocatur Spiritus undâ
Non adjuturas lingua reſorbet aquas.
Nulla quies oculis, fugiunt vaga lumina ſomni,
Amentes animos nox vigilata facit.
Neç me, qui recreet, nec qui ſermonibus aptis
Occupet afflictæ vulnera mentis, adeſt.
Theſſalicos quidam ſuadent conquirere ſuccos,
Chironis medicam poſcere cogor opem.
Svadent Phæbeas, timidæ pro Vate Camænæ,
Artes, & quidquid nobile Cyrrha legit.
Hei mihi! nemo mei tanget medicamina morbi,
Nulli Pelidæ vulnera noſtra patent.
Mens eſt ægra mihi, tanto mens uritur igne,
His animi flammis incaluêre mei.
Concidit exſanguis ſenſus, palleſcimus ore,
Plùs quàm febrilis commovet oſſa tremor.
Vltrices ſcelerum redeunt in pectora pænæ,
Et gravis offenſi detonat ira DEI.

Angor.

Angor, quidquid ago, lassi suspiria cordis
Deficiunt, tritis sæpè vocata vijs.
Et quoties tonitru, quoties micat aere fulgur,
In nostrum vereor fulmina jacta caput.
Insomnes trahimus noctes, ipsumq; cubile
Visum sæpè meis improperâsse malis.
Aût si roriferâ demulsit lumina virgâ,
Iratis somnus terruit ora Dijs.
Exhausit faciem pallor, mea concolor umbræ,
Concolor extinctis squallida mala focis.
In pœnam cadit ipse cibus, pudet esibus uti,
Emaciata fames non nisi sola placet.
In medijs calet ardor aquis; in flumine crescit;
Aret Tntaleâ torrida lingua siti.
Quodq; magis læsam consumit vulnere mentem,
Fas nulli miseras dicere posse vices.
Et si lingua volet quid prodere pressa, tacebit,
Nè meus eloquio prostituatur honor.
Nulla fides hominum, superas pulsabimus arces,
Ipse DEVS nostræ certa medela rei.
O Pater! infirmæ fer opem, dextramq; saluti,
Sint, precor, humanis astra miserta malis!
Quod si, quâ vulnus suscepit Telephus hastâ,
Hæc illi rursùs facta medela fuit;

Tu

Tu quoq;, qui justo quatis intima pectora telo,
Rursùs opem morbis, consiliumq; dabis.

ELEGIA II.

Nolite fieri ſicut equus & mulus.

Pſalm. 31.

ERgoné Iuno potens, aût falsis Iuppiter astris,
Rursus in humano concipit ore feras?
Parrhasias iterum Callisto sufficit Vrsas,
Et Licaonij convaluêre lupi.
Ludit formosis incognita cornibus Ino,
Pallida subtilem torquet Arachna colum!
Sed non Iunonis, non hic calet ira Tonantis,
Numina, quæ moles pulverulenta tegit.
Turpiùs humanas mutant peccata figuras,
Cognatumq; feris ſerpit in ora ſcelus.
Hunc in Marmaricum format gravis ira Leonem,
Induit Arcadios hic feritate lupos.
Hic Elephas fastu, visoq; cruore ferocit;
Astutæ vulpis pellibus ille latet.
En subitas aliquis mutato corpore formas
Accipit, effrænem turpe secutus equum.

Sic

Sic longâ cervice tumet, sic excutit altas
Fronte jubas; ardens sic levat ipse caput.
Ignescunt oculi, nimioq; fruuntur honore,
Flatibus ignitis ora superba calent.
Nec quâ descendit, nec quos ferit ungula campos,
Aspicit, & rectis fertur in astra toris.
Ipsa sedet niveo cristata superbia dorso,
Et plaudit molli, mollia colla manu.
Impatiens fræni quoquo libet ire vagatur,
Sessoremq; petit calce frequente suum.
Pro pudor! inversam fronti modo detrahe larvam,
Cornipedi similis mens, faciesq; tibi.
Nullis frænari pateris tua legibus ora,
Excussoq; fugis debita jura jugo.
Non te Divinæ flectunt incendia mentis,
Ætherei cultûs non moderatur amor.
Quo ratio vocat ire, pudor; plùs creditur illi,
Quem colit accensis thuribus Ida, Deo.
Curritur in stadio, juvenile quod impulit æstrum,
Insolitis Paphus est sæpè petita vijs.
Nec campos humiles, nec humum, quâ contegar olim,
Aspiciunt fastu lumina capta meo.
Æmula sideribus cervix, it vertice toto
Ad superos, vilis pectora lædit humus.

 Odi par

Odi par quod erat; socios odêre superbi,
Et nisi, qui Domino sub pede repit, amant.
Quod si forte loqui, si Tullia rostra docere,
Contigit, heu! quantum turgida verba tonant!
Quam tortis obnixa labris, vel fulmine quodam
Iacta, cothurnato dicta furore cadunt.
Sed graviùs movet astra malum, conamur in ipsos,
Ire polos, carpit perfida lingua Deum.
Nec satis est clemens, nec justo fulminat igne;
Vtimur in pejus commoditate poli.
O miseri! quis sensus equi? quæ pectora muli?
Sic Dominum feries ungula serva tuum?
Inijce fræna malis; pulsasq; superbiùs auras,
Comprime, nè Domini te manus alta premat.
An tibi plùs stigij phalerata licentia luxûs,
Effrænesq; orci plùs placuêre dies?
Et nisi Tænario pateris sessore domari,
Non nisi Cocyti sulphur, & unda sapit.
Sed nimiùm serò nosces tua damna dolere,
Cùm tibi pro stabulo spectrifer orcus èrit.

ELEGIA III.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ. *Psalm. 37.*

NVlla salus animo, nullâ satis arte medendi,
Sanantur mentis vulnera cruda meæ!

Et quoties coïjt, toties est rupta cicatrix,
Et filo sutæ computruêre notæ.
Sæpè mihi dixi! decessit vulnere nostro
Depressus medicâ languidus arte tumor.
Iam validæ vires, animus robustior exstat,
Iamq; cicatrices convaluêre meæ.
Sed cùm delector, blandisq; secabile ferro
Vulnus tracto modis, res mea pejus habet.
Invaluit pestis, venas coquit igneus ardor,
Rupta novo rursus vulnera pure fluunt.
Vtq; scias, quæ causa mali, quis vulneris author?
Expediam brevibus ludicra bella modis.
Omne mihi damnum tulit, Insipientia Princeps,
Illius afflatum cor mihi tabe perit.
Tardiùs agnovi, quo debellabar ab hoste,
Et nisi post fixam cognita tela cutem.
Me siquidem fictis ausa est inducere castris,
Ac ignorantem sub sua signa dedit.
Error erat facilis; cristato vertice nutans
Belligerâ fulsit Dux mea cincta manu.
Credideram Martis galeatam stare Sororem,
Forsan & hastatâ Pallade major erat.
Cùmq; sequi, mens fixa Ducem, quò convolat imus;
Atq; pari ventum est, qua præit illa, pede.

Sed dum castra locat, pictis dilabimur agris;
Aût bullas amor est, aût pepulisse pilas.
Arcubus hi vexant auras, hos funda fatigat;
Hi nidos Paphiæ depopulantur avis.
Ipsa jacens molli Floræ ridentis acervo,
Aptabat nervo florida tela suo.
Nunc agit in metam calamos, nunc sidera fingit,
Et negat insipiens rebus inesse Deum.
Vltus tela Deus; nimbis & grandine pulsâ
Obruimur, feriunt fulmina jacta caput.
Me furor advertit cœli, me fulminat ira,
Inq; meum missa est crebra sagitta jecur.
Cor, pectusq; cadunt, animæq; miserrima vis est,
Abjecto gelidum verrimus ore solùm.
O Deus! ô vindex patiens! miserere jacentis!
Sistat Divinus tela severa furor!
Da veniam lapso, nec enim mihi signa Magistræ
Cognita, nec facies insipientis erat.
Lusimus, incassum fateor; temeravimus aras,
Et Majestatis Numina spreta Tuæ.
Sed tibi sat victum, sat me vidisse gementem,
Durior est hominum, mitior ira Dei.
Iam mihi spes animum melioribus erigit Austris,
Obducitq; piâ vulnera magna manu.

Damnat

Damnat Apollineos, vectosq; à Colchide succos,
Et solo Christi sanguine, membra levat.
Iam scissæ coëunt carnes, jam vulnera sana,
Vix tenuis quædam signa rubedo facit.
Sed quoties memini; quoties mea pectora pulsat
Impendens capiti, criminibusq; furor;
Et quoties memori venit Insipientia vultu,
Quæ fuerat læsi pessima causa Dei;
Putrida membra tument, tumet incurata cicatrix,
Atq; novum virus pestis aperta vomit.
O Deus! ecce tibi nostræ data cura salutis;
Tu solus medicâ corda levabis ope.
Tu poteris toto depellere pectore labem,
Nè redeant menti vulnera cruda meæ.
Nè toties putridi consumant ossa dolores!
Atq; cor insipiens ludat imago, stygis.

ELEGIA IV.

Amplius lava me ab iniquitate.

Psalm. 50.

O *Superi! quæ forma mihi! quæ turpis imago?*
Quàm niger infecit corpora nostra color?
Æthyopes vultus; atro frons sanguine stagnat;
Squallida mærentes involat umbra genas.

 Vt sol

Vt sol maturas decoxit vitibus uvas,
Vt maculat pingues fumida flamma focos;
Sic mea, sic facies tetra fuligine pallet,
Et maculæ toto corpore triste natant;
Sæpè meos vultus speculo volo teste probare,
Abjecit speculum territa sæpè manus.
Aût pellucentis pacata silentia lymphæ
Consulo; lympha pari reddidit ora fide.
Indignor fonti, quasi falsâ luderet undâ,
Et mea non puris ora notaret aquis.
Sed nimiùm fallor, niveos mihi crimina vultus
Inficiunt, animæ perdita forma meæ.
O mihi! quis castas dederit Cephisidis undas?
De quibus aspectis flos puer ille viret?
Quis vada Clytumni, cujus modo pota Colonis,
In circum niveos efficit unda greges?
Forsan ego poto fierem formosior amne,
Oraq; Narcisso candidiora forent.
Vana peto, novus, ecce novus styge mersus Achilles,
Reddor ego, sedit ferrea squamma genis.
Quis poterit stygiam fons à me pellere frontem?
Quis mihi restituet candida membra latex?
O Deus! ô vivis recreabile fontibus æquor!
Ipse dabis nostris apta lavacra malis.

Ipse stygis maculas meliori flumine purgas,
Et deturpato pellis ab ore nefas.
Ecce tibi mea damna patent, quos hausimus ignes,
Quæ cor flamma tenet, quæ nigra spectra, vides.
Quam pulsus facie sanguis male sæpiùs arsit,
Quàm mea decoxit Cyprius ora calor.
Nec satis externâ corpus fuligine tingi,
Interior mentis commaculatur honor.
Internas maculæ grave possedêre medullas,
Ac animæ sedem quærit iniqua lues.
Ossibus influxit pestis, totamq; malorum,
Pro dolor! admittunt intima corda stygem.
O Deus! accelera fontem, da flumina cœli,
Pectora Divini sanguinis amne lava.
Et si me lachrimis, & si me tinxeris undâ,
Ampliùs ô IESV! me precor ipse lava!
Sic etenim nostrum speciem cor combibit atram,
Vt nisi Divinâ purificetur ope.
Intima sic pestis morienti pectore regnat,
Vt nihil externæ vis medeatur aquæ.
Nec satis est Thetys si mergar in æquore totus,
Oceani maculis non satis unda meis.
At tu si minimæ tribuas mihi munera stillæ,
Purus ero, mundâ candidiorq; nive,

Et

Eſt lachrymis, fateor, pondus; multumq; cadente
Aptæ turpatas amne lavare genas.
Sed tamen in genitos quamvis mea lumina fontes,
Sêu fluvios abeant, non mihi laxa ſatis.
Nec poterunt totum depellere pectore virus,
Nec ſatis à maculis mundus habebor ego.
Vnica nempè tui ſpes nobis ſanguinis undat,
Ampliùs, ô IESV! crimina noſtra lava.

ELEGIA V.

Convertere Domine uſquequo deprecabilis eſto. *Pſalm.* 80.

Supplex Libellus pænitentis.

JAm non à Ponto, nec ab amne binominis Iſtri,
Ante tuos vultus littera miſſa venit.
Non Gyaris clauſus, nec abactæ littore Thules,
Non in Erythræis ſupplico prênſus aquis,
Deſertas repetens ſedes, animæq; ſalutem,
Indè tuam poſco flebilis exul opem.
Parce Deus, dematq; gravem rea lachryma culpam,
Flecto tibi pronum ſupplice corde genu.
O Pater! an Patrijs fas eſt mihi legibus uti,
Quem magis offenſi Iudicis ira manet;

Etsi me ferias, etsi Pater optime damnes,
Assiduo supplex ore vocabo Patrem.
O Pater! ô Patrijs exemplar amoribus unum!
Sit tua delicto mitior ira meo.
Nempe Patrem didici quâvis te luce petîsse,
Tu Pater es noster, matre monente scio.
Implorat superos, fraternaq; sidera placat
Pæne procellosis nauta sepultus aquis.
Auditus; tumidos felici Castore fluctus
Vincit, & optato vela reponit agro.
Illa quidem tua sunt, nec adæquant sidera Numen,
Nec tibi conferri de paritate queunt.
Attamen ex astris, blandiq; juvamine cœli
Colligimus, quantæ tu bonitatis eris.
Quidni jam lachrymæ, quidni suspiria læsum
Te mihi componant, contineantq; Deum?
Ecce, Deus, trepido pallescit charta colore?
Exsanguisq; jacet, dum mea damna refert.
Ira tibi brevis est, nosco, moderataq; virtus,
Nec pateris longo me gemuisse jugo.
Quid pœnas metuo? grandis mens conscia facti
Ipsa sibi pœna est, ipsa catasta sibi.
Non ita Tantaleæ quererer sitis æstibus uri,
Linguaq; si medias areat inter aquas.

Non ita, si Gyaros exul, si Bactra frequentem,
Threïcios stabulis pectere cogar equos;
Abjectâ facie squallentem lambere terram,
Ac duro jubear tristè cubare solo.
Quidquid habet sævi, quidquid fovet atra Tyrannis
Austeri, superat mens inimica mihi.
Cur timeo? rigidus non semper fulminat æther;
Nubibus effractis blandiùs astra nitent.
Accedam Dominum supplex, veniamq́; rogabo,
Quo nullus Regum mitior esse potest.
Attamen & Reges humili flectuntur honore,
Et præbent aures plebe gemente suas.
Quidni spes eadem nobis solatia gignat?
Cum facilis nostræ crederis esse preci?
Imò fatidicis si quæ reverentia somnis,
Vltrò scio limen te subiisse meum.
Nox erat, & dulcis mulcebat lumina somnus,
Intras sidereâ pube sequente Deus.
Hæc facies, hic vultus erat, frons sanguine manans;
Agnovi rubeas luce favente genas.
Hic mihi defectus & amara pericula profers,
Et stygis armatas in mea fata manus.
Inter eas voces singultibus excitor altis,
Ac juro tantis ponere fræna malis.

Nec

Nec mora quod vovi felici fine corono;
Atq; tuos supplex deferor ante pedes.
Da veniam lapsis, mens est tibi lenis, amansq;,
Non mihi sis Iudex, sed Pater, alte Deus.

ELEGIA VI.

Vias meas enuntiavi & exaudisti me. *Psalm.* 128.

Appulit ad portum felix; puppesq; coronat
Ionijs prorsùs navita sorptus aquis.
Attigit ad metam ventis agitata sagitta,
Ambiguoq; scopos arcitenente ferit.
Martia discussis procul effugit hasta maniplis,
Radicesq; ferens in sua serta, viret.
In Scyllas & me faciles egêre procellæ,
Et propè monstrosâ jam styge mersus eram.
Sed reperi portum, dubius quem sustulit error,
Meq; profanatis, dum moror, hausit aquis.
Nec pudet emensos vario discrimine cursus,
Et tot difficiles enumerare vias.
Tu modo clementi Deus aspice cuncta favore,
Erroresq; meos aure patente feras.
Prima meas rapuit puppes, Syrene canente,
Mox & in Ægeos detulit aura sinus.

Risi, quod vacuas aures obstruxit Vlisses,
Decepit lubricas Ithaca cera Deas.
O utinam nostris mens cursibus ista fuisset!
Non sic, credo, forent perdita vela mihi.
Sed, cum proclivi mendaces aure sorores
Accipimus, miseris est ratis acta malis.
Aula placet, molles animum traxêre voluptæ,
Sufflavit cupidas blandior aula faces.
Hic & nobilibus titulis, & divite censu,
Est amor, & quidquid fert vaga flamma frui.
Inter equos, equitumq; decus fulgere studemus,
Et superare pares gloria magna viros.
Nil mea vota magis, quàm lubrica fama tenebat,
Insector bullas prætereuntis aquæ.
Auxerunt studium palmaria præmia Regum,
Elicuit fontes aurea vena novos.
Nocte, dieq; leves captamus Principis aulæ
Illecebras, decus est complacuisse Thronis.
Hinc bellatrici committere robur arenæ
Persuasit, validâ palma petita manu.
In medias acies, torviq; pericula Martis,
Vulneris ignarus jusserat ire calor.
Sæpè latus Geticum projectis rupimus hastis,
Fervor erat Cimbris conseruisse manus.

Sæpè

Sæpè per obstantes eduxi signa maniplôs,
Laude Ducum pectus sollicitante meum.
Donec in adverso defixum pectore vulnus
Admonuit, quali bella geruntur ope.
O quot deflendi perierunt sic mihi soles!
Quotque novas vertit Plejas amara genas!
Nulla subit mihi cura Dei, mens exul ab astris,
Idalios saltus incola longus amo.
Donec vindicibus Divinæ viribus iræ,
Discussæ tandem spes abiêre meæ.
Deserimur, medios fluctus scindente carinâ,
Nec remus nobis, nec sua vela patent.
Vtq; nihil taceam, mens est mihi cuncta fateri,
Confessis veniam sæpè tulere Dij.
Quis modo comprêndat? quæ me tulit ira malorum?
Quis furor? amisso quæ fera fata Deo?
Ad Patrios census privatæ vertimur aulæ,
Quos pietas Patris, quos dedit author Avus.
Hic quoq; fatales conspiravêre ruinæ,
Inq; meum pariter detonuêre caput.
Non ego sat memorem vicina pericula lethi,
Sæpéq; districtas in mea fata manus.
Tandem post longos miseri certaminis æstus,
Ad sacram verto pectora læsa fidem.

Q 3 *O Deus!*

O Deus! exilijs animæ Tua limina pande,
Quæ nimis infaustis est male quassa vijs.

ELEGIA VII.

Quot sunt dies servi tui ?. *Psal.* 117.

H*Ei mihi! quàm celeri rapitur pede tempus inane!*
Quod placet immundis sæpè dedisse jocis.
An volucri de Matre satum pernicibus alis
Effugit, humanas destituendo moras.
Nos humus ægra tenet; nos tardis passibus imus,
Implexas vanâ spe retinente vias.
Et velut Hippomenis projecto sistimur auro,
Vt nos ad metam prævolet ille suam.
Non nos tot casus, nec adempti gloria cursûs,
Victaq́, dum sistit, non Atalanta docet.
Cêu solet Odrysio propelli cuspis ab arcu,
Ac oculo tangi prospiciente nequit;
Sic volat, aût citiùs, disruptis tempus habenis,
Sic omnis rapidâ volvitur hora rotâ.
Vt mihi nec compos fieri, nec cernere possim,
Quæ nam restet adhuc, quæ mihi lapsa via.
Te Deus imploro! fugientes reprime menses,
Atq́, velis nostros indigitare dies.

Sed

Sed nimis exili numero mea constitit ætas,
Pæneq; prima mihi creditur ista dies.
Quod præijt, perijt; lachrymis testabile tempus,
Dum fluxâ mundi me libet arte trahi.
Nil memori cedro, Pario nil marmore sculptum,
Quod possit superûm fronte favente legi.
Heu! quot erant anni, quos naufragus abstulit error,
Tempora quot fluidis præcipitantur aquis.
Ad numerum nihil usq; venit, perit hora, diesq;,
Quæ non divinis appretiata bonis.
Flectere tempus iter, varijsq; erroribus actam,
Ad sua compelli claustra redire ratem.
Iam tibi nec Pollux, socio nec sidere Castor,
Nec puto Latonæ Numina grata nitent.
Quod magis, iratis impendet Iupiter astris,
Et vindex tumidum fulminat æthra caput.
Iam tibi flos abijt, fragilis se subtrahit ætas;
Et faciles labi præteriêre dies.
Iudicium, ratioq; potens discernere rectum,
Temporibus tantis jam rediêre tibi.
Quid modo culpabis? Tibi quo defenderis astro?
Nil puto, quàm longis pectora sveta malis.
Sed Deus à tergo sævæ discrimine virgæ,
Obnixosq; premens impia Parca pedes.

An dubitas? calidæq; tepes amplexibus Idæ?
Cùm stringit vindex ignea tela Deus?
At quâ fronte potes Sanctos accedere vultus?
Nè Domino supplex excutiare pede?
Aude; subjectis pia Numina parcere suêrunt.
Sunt lachrymæ magnis hostia grata Dijs.
Hinc aditum suadet Divæ clementia mentis,
Spe certâ justos excutiente metus;
Inde gravis facti retro confessio pellit;
Et movet irati fulmina pulsa Iovis.
Sed puto clementes animos superare furorem,
Molleq; cor nostris indoluisse malis.
O Deus! erravi, satis est mea damna fateri,
Faßis ultrices non nocuêre manus.
Non patitur tantos mens ægra resumere casus;
Quos infelici remige passa ratis.
Sit satis, erravi; sed cùm mea culpa premetur,
Sanguineos Christi victus adibo pedes.
Nec patiar corpus Dominis avellere plantis,
Donec clementi me levet ille manu.

ELEGIA VIII.

Formido mortis cecidit super me. *Psal.* 54.

QVis timor exãgues spoliat mihi sanguine vultus?
Et mæsto gelidus pallor in ore natat?

Cor

Cor propè consumptum, gemitus fera verbera pulsant,
Formidoq; meas quassat iniqua genas.
Ad mortis metuo nomen, tremefactaq; toto
Membra situ, Scythicæ cêu glaciantur aquæ.
Postquàm lethales hominem subvertere casus,
Et certo didici cuncta perire modo.
Nam Deus ex ævo, primaq; ab origine mundi,
Humanas fixo limite clausit opes.
Omnia mortalis vitæ circumfluit ordo,
Immotus rerum terminus esse solet.
Duraq; sic totum grassatur Parca per orbem,
Vt nemo Procerum non ea jura ferat.
Quo Macedo cessit? quo Persica Numina Regum?
Exiguus tanta de statione cinis.
Nil juvit, miseras Trojæ vitasse favillas,
Si brevis Æneam pulvis & urna capit.
Non sua formosum facies excusat Iulum,
Et quicunq; Duces hinc habuêre genus.
Quid Numa? quid Fabij? quid ovantia sidera Romæ?
Excepto restat nomine pænè nihil.
Scipiadæ Magni tantùm, fortesq; Metelli,
Quantùm vel pauper pulveris Irus habet.
Imò metalliferos Cræsus licet hauriat amnes,
Pactoloq; lavet Regius ossa Midas;

Non tamen auratâ cineres variantur arenâ,
Sed ſimili reliquis detumuêre luto.
Scilicet haud quisquàm clypeoq́, togâq́ decorus,
Adijciet vitæ parva momenta ſuæ.
Dicere plura volo, nec toto munere Regni
Vel minimum poterit quis revocare diem.
Aût modô venturam, celeri nè provolet alâ,
Rex hominum cûiquam, vel retinere ſibi.
Quod plùs exanimes incerto funere ſenſus
Conſumit, nulli, quâ ruat, hora patet.
Quo fato, quâ ſorte ſuos quis compleat annos,
Æterna ſuperûm de ratione fluit.
Tempore quo ſolvat mortalis debita vitæ,
Id Deus arbitrio ſuſtinet ipſe ſuo.
Nùm proprio victus naturæ jure quieſces?
Num rogus, aût pelagi te tumulabit aqua?
Marte, vel inſidijs? ferro? vel atroce ruinâ?
Vel ſubito lapſu? vel remorante cades?
Colchidis infauſto potu? vel agentibus armis?
Omnia caligo non penetranda tegit.
Quis locus? aût acies? quæ te fortuna domabit?
Neſcis; incerta eſt mors, via, cauſa, modus.
Et plerumq́ tuis minimè quo tempore rebus,
Conſulis, abrupit Parca nefanda colum.

Dum

Dum tibi præsago blandiris plurima voto,
Expectasq; novo forsan honore frui;
Affuit, & medium præscindit barbara filum,
Nec prece, nec pretio, concilianda Dea.
Non secus, ac cæcâ securus nocte patentem
Ingreditur tacitè fur, spoliatq; domum.
Quidquid in introitu tenebris celantibus exstat,
Arripit, & vacuâ suffugit æde retrò;
Sic quoq; mors avido mortalia pectora fato
Occupat, & magnas spes, animasq; rapit.
O miseros homines! hilari qui pascimur aurâ,
Et tristis Boreas carbasa nostra premit.
Sic alimus tenerum blando spiramine florem,
Quem metat Elysiæ falx inimica Deæ.
Non ita quis valido Mavortis milite cinctus,
Vt non per clypeos, telaq; Parca ruat.
Non ita fatidico quisquàm securus ab astro,
Vt norit, vitæ damna futura suæ.
Vndè mihi magnâ semper formidine pectus
Æstuat, & nunquàm mens mea læta manet.
Nam quoties memini, quàm spes incerta morandi,
Exanimat toties me propè triste gelu.
Funus ubiq; mihi quâvis formatur in Ara,
Herbaq; feralis quæq; cupressus erit.

Hoc facis ô Princeps cœli! ne fortè furorem,
Inducant, animo cognita fata meo.
Vtq́, magis cautis venientia funera curis
Expectem, quorum sors inopina cadit;
Heu! vigilate! mones, opus est! estote parati!
Non horam volui vos! neq́, scire diem!

ELEGIA IX.

Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus, atq́; consumptus, ubi quæso est? *Job.* 14.

P*Rô dolor! ut pulchræ difformis gloria fronti!*
Interitu misero solvitur omne decus!
Quid magis arridet? quàm vultûs blanda venustas.
Quæ tamen informi fit vitiata luto.
Illa decorarum florentia poma genarum,
Parcarum vermis depopulatur edax.
Illas mellifluæ Charites, & flumina linguæ,
Extinguit, subitum conglaciatq́, gelu.
Emorior, quamvis studiò me vivere fingam,
Mortalem quoties spero venire diem.
Quælibet esse mihi deflebilis hora videtur,
Quælibet extremo me posuisse thoro.

Nam

Nam quoties jaceo, mollis licet undiq; pluma
Ambiat, in duram jam puto vertor humum.
Innumeræ mentem confundunt tædia curæ,
Et rapiunt sensus anxietate meos.
Sollicitis animus studijs, & mole gravatur,
Multa catervato bella ciente metu.
Si forsan tristes accensâ lampade noctes
Arceri jubeo, mens nova damna pavet.
Nam quasi lethali jam colluctarer agoni,
Illaq; lux mortis nuncia visa mihi.
Quo me cunq; loco famulorum turba reponit,
Fax simul illa sequi creditur atra caput.
Meq; monet, quanto lassus sudore recumbam,
Cum mihi deserto fax erit ipsa comes.
Sed gravius tangit morientia pectora telum,
Quando præsentem cogito stare Stygem.
Hæc mea proponens exactæ crimina vitæ,
Iam sibi jus ad me, votaq; certa facit.
Quis satis horrescat? quali movet omnia fastu?
Præsentatq; oculis gesta notata meis.
Vt mihi cœlestis præcludat lumina sedis,
Et desperatis me fore rebus, ovet.
Sed si vel totis in me ruat ignibus orcus,
Vulnera credo mei plùs valuisse Dei.

Si mea Tænariys infaſcinet atria pænis,
Accendat ſtygios flamma parata rogos;
Non mea ſpes unquam firmo de cardine cedet,
Quam fulcis merito Chriſte benigne tuo.
Hinc alio rurſus pavidam diſcrimine mentem
Conficit, exangui triſte cadaver humo.
Vix animæ membris exceſſit gloria noſtræ,
Nec ſpecies hominis, nec nota parva manet.
Frigidius glacie, Pario plùs marmore durum,
Et nive pallidius corpus inane jacet.
Putida membra fluunt, ubi nunc Pulcheria frons eſt;
Quæ modo cincinnos baſiat aura tuos?
Qui tibi jucundis nuper placuêre cachinnis,
Attractis fugiunt naribus, ore, Lares.
Damnaris foveæ, vel aperto præda ſepulchro,
Et caro fit pinguis vermibus eſca tuis.
Dic mihi, poſt aliquot deducti funeris horas
Quis meminit famæ, conſiliŷq; tui?
Quis nomen retinet? tua quem conſortia tangunt
Vix eſt, poſt obitum qui bona verba dedit.
Sed ſimul exili gelidus concluderis urnâ,
Omnis ab humano laus procul ore fugit.
Quo ceſſit blandi ſpecies, & gratia vultûs?
Quo decus ingenŷ? quo rationis honor?

Dic

Dic ubi ſpes hominum? quali nituntur acervo?
Oſſibus in nudis gloria tota jacet.
Sic ubi flos carptus ſucco moriente putreſcit,
Nec nomen floris, nec manet ullus odor.
Sic ubi fluctivagi projectus in æquora Ponti eſt.
Nusquàm retrò poteſt indè redire lapis.
Quamvis hic aliud; nam certò tempore quondam
Reſtituet parvus corpora noſtra cinis.

ELEGIA X.

Confige timore carnes meas, à Judicijs enim tuis timui. *Pſal.* 120.

CVr mihi jam ſiccas, haurit nova cura medullas?
Iudicio ſiſtar quâ ratione tuo?
Qui ſatis infelix vario collidor agone,
Atq; metu pœnæ ſum miſer ipſe meæ.
Nam quoties lapſæ repeto mala crimina vitæ,
Iam me mille reor commeruiſſe rogos.
An plùs diſtricti noceat mihi Iudicis ira?
Quàm crucior mentis conditione meæ?
An magis æterno damnari fulmine poſſunt
Crimina, quàm noſter devovet illa dolor?

Crimina

Crimina sunt causæ quod me locus omnis abhorret,
Omine quod perimit quælibet umbra malo.
Crimina sunt causæ; vigiles quod ducere noctes,
Infaustosq; mihi cogor obire dies.
Tolle meas labes, mentis quoq; vulnera tolles;
Iudiciumq; mihi non erit acre tuum.
Hæc scelerum merces, pretium de crimine nostrum est,
Assiduo quatiens pectora pæna metu.
Si mihi recta foret ratio, si cura salutis,
Damna bonis fugerem perniciosa meis.
Odissem placidi fallentia retia mundi,
Quæ mihi cœlestes impediêre vias.
Vtq; solent anguem nudi vitare pedestres,
Sic quodvis vellem desipuisse scelus.
Tunc me nec superi, nec Iudicis ira gravaret,
Nullaq; Iudicij tam gravis ansa foret.
At nunc quæ nostrum sequitur dementia morbum?
Toxica sæpè bibo, quæ nocuêre semel.
Scilicet ut captus disrupto fugit ab hamo,
It tamen, & capitur piscis ab arte novâ;
Vt toties tumido sale territa naufraga puppis,
Iam detestatis rursus adhæret aquis;
Sic ego quæ toties damnavi crimina vitæ,
Attamen illicijs me rapuêre suis.

Hæc

Hæc mihi causa metûs; quali subsistere fronte
Tot scelerum, potero, jure vocante, reus.
Forsitan, ut medico morbos benè detegit æger,
Sic ego confitear vulnera nostra tibi.
Quemq; movent culpæ; lachrymæ lenire studebunt;
Iratum flectit lachryma sæpè Deum.
Ploranti quondam voluit qui parcere Petro,
Ter licet admisit, nomine crimen idem.
Qui Castellanam, lachrymis & munere victus
Absolvit culpâ, judicioq; nurum.
Hic mihi jam plantas oculorum fonte riganti,
Dimittet vitæ crimina magna meæ.
Spes viget exemplis; quid nî mitissimus; & me
Respicias, cujus gratia fine caret?
Ira quidem Tibi justa subit, fateorq; meremur
Iudicio pelli sub Phlegetonta tuo.
Sed nisi peccassem, quod jam clementia nomen?
Quem tua tunc bonitas posset habere locum?
Diceris hinc mitis; quia cùm nos perdere posses,
Indulges pœnæ, criminibusq; meis.
Materies igitur clementis maxima Regis,
Si facinus populi quod cruce plectat habet;
Non tamen immiti cives interficit ense,
Contentus victos, pænituisse reos.

Quis Tibi Rex, æquo poterit se jungere sceptro?
Clementesq; animos æquiparare tuo?
Hinc mihi spes major; quia Te clementiùs, alter
Nemo potest nostrum dissimulare malum.
Ergò mortali quando jam lege citabor?
Ad tua de multo crimine jura reus?
Sêu me conscripto jubeas accire libello;
Sêu interpellans me vocet ipsa dies?
Non mea pœnali damnes errata rigore,
Vt lenis sceptri sint documenta tui.
Ne tamen & nostris desit sententia factis,
Victum me recitet Iudiciale forum.
Sed victo, comis pateat clementia cœli,
Sit mea rescripto libera causa tuo.
Sic ego victorem justâ te laude vocabo,
Et tu clementis nomen ubiq; feres.
Sic ego thura tibi totis adolebo diebus.
Gaudeboq; pias sæpè dedisse preces.
Publica vota hominum Tibi conciliare studebo,
Accessurus opis pars quotacunq; Tuæ.
Quâ mare, quâ tellus, quâ mitior emicat æther;
Te clemens Numen, propitiumq; canam.

ELE-

ELEGIA XI.

Quid faciam cùm surrexerit ad Judicandum DEUS. *Psal.* 14.

AN mihi non sat erit semel aspexisse Tribunal?
Cùm mors dissolvet corpora nostra, Tuum?
An Tua sic nostris gravis est sententia damnis?
Vt gemino jubeas nos periisse foro?
Ipseq; jam summa de Majestate remittens
Iudicium statuas introiisse meum.
Quid Tibi cum vili, causâ contendere limo?
In mea cur solus surgere jura velis!
Qui nutu minimo, vel parvi flamine venti,
Deleri possum, destituiq; nihil.
Non ego de miti tantum bonitate Tonantis
Polliceor, quamvis lex jubet ista, mihi.
Namq; Tibi nullo mens est affecta rigore,
Mitiùs haud quisquàm sceptra tenere potest.
Nil te mundus habet melius, nil sidera majus;
Nec par est bonitas dotibus ulla Tuis.
Tu veniam qui te multum læsêre dedisti,
Criminibus magnis parcere sæpè soles.
Divitijs etiam, quos perdere fas erat, auges,
Electosq; facis, qui Tibi bella movent.

Exemplo Paulus; dum ſidera Marte laceſſit,
A te pro pœnis plurima dona tulit.
Vtq; miſer gaudet, Divino munere victus,
Sic Tibi lætitiæ fit modus, unus homo.
Cur igitur tantâ, noſtrum, ratione requiris,
Quod donare ſoles, tam citò, ſæpè ſcelus?
Sic niſi jam ſuperum poſitiva lege ſtatutum,
Vt quoq; judicium corpora noſtra ferant.
Sic, animæ quoniam veſtrûm ſubiêre Tribunal;
Exurgens patitur debita jura caro.
Quidquid id eſt, aliud certè mihi credere fas eſt,
Iudicium, Ioſaphat valle patente fore.
Huc hominum vis tota ſuo de pulvere ſurget,
Qui vitæ quondam vela dedere brevi.
Huc ego cum reliquis rediviva carne receptus,
Pars, utinam turbæ parva canentis, ero.
Sed mea deterior forſan ſuccumbere cauſa
Debebit, Dominâ nî tuearis ope,
Ni faviſſe velis, pretioſaq; ſanguinis arrha,
Signet, me juſtâ lege fuiſſe Tuum.
At vereor, nè forte meis ea tempora luſtris,
Accelerent, ſummum quando Tribunal erit.
Nam quis ad innumeras non fracto pectore clades
Horreret? quis eum vellet obire diem?

Qui Tua præcedet magnis ſubſellia pœnis,
Iudicijq́; dabit publica ſigna Tui.
Concutient varijs diſcordia bella ruinis,
Et perdent totum ſeditione genus.
Quid referam gentes concurrere Gentibus orbis?
Regnaq́; cum Regnis Marte coire pari?
Quid Regum, populiq́; feros flagrare tumultus,
Omnia non ſolitis ſceptra perire malis.
Mille locis ægro quatietur pondere tellus,
Atq́; feret motu plurima damna ſuo.
Hinc gravis infecto graſſabitur áere peſtis,
Hinc aliâ plagâ ſæviet atra fames.
Impatiens veteris ſuccreſcet littoris æquor,
Adverſo fluctus exagitante Noto.
Fulmina continuis arſuras ignibus arces
Permiſto ferient imbre, minisq́; poli.
Percellent miſeros errantia fulgura vultus,
Et tonitru pavidâ quilibet aure feret.
Hinc fluet omne malum; flammis impunè relictis,
Diſcurrent nimios mente ferente metus.
Senſibus inverſis homines ſe condere vellent
Et non credendis præcipitare modis.
Quæruntur latebræ? ſed aperti fulmina cœli
Invenient quovis corpora clauſa loco.

In ſaltus fugient illi, ſedesq́ ferarum?
Aſt hominum quærent ſquallida tecta feræ.
Nemo poteſt tantos mundi benè tangere caſus,
Et quanto facies tota ſub igne gemet.
Dicere ſat, pejor quod nusquàm forma videri,
Nec quo jam graviùs creſcere poſſit, habet.
Vna mihi ſupereſt ſpes non frangenda ruinis,
Sperem judicium quod mihi mite Tuum.
Cumq́ rigoroſis ardebunt omnia flammis,
Interitu triſti machina tuta ruet.
Securus precij, quo me tibi credo redemptum
Impavidis potero cuncta videre genis.

ELEGIA XII.

Advenit ira tua & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem ſervis tuis. *Apocal.* 11.

HEu mihi! quo fugiã? quæ me teget umbra, locusq́,
Cùm Divina ſuas exeret ira faces?
Quæ me tunc habilis defendent jura Patroni?
Aût quæ Cauſidici lingua perita mei?
Decertet docto, quantum licet, ore Pericles,
Eloquio cauſam dexteriore juvet;

Nil

Nil minùs evincet, contra decreta Tonantis.
Et mea res, nullâ tuta levatur ope.
Sed tamen ut noſtros placant data munera Reges,
Sic capitur lachrymis cordolioq́; Deus.
Ah nimis infauſto me qvondam ſidere natum!
Qvi potui noxis ſic valuiſſe meis.
Cur mihi primævâ conſumi luce negatum?
Iudicio poſſem proſperiore frui?
Criminibus tantum licuit cur ſerpere noſtris?
Cur non principiis obſtitit ira mejs.
Nunc quid ad iratos mihi fas eſt hiſcere vultus?
Ipſe meis quando juribus hoſtis ero?
Cum cæpit parvis undas admittere rimis,
Ocyus infelix oblinienda ratis;
At poſtquam pelagi fluctu mergente dehiſcit
Hæc qvoq; qvæ proſunt, interitura gravant.
Ergo meis odium Tibi qværebatur ab annis,
Qvos poteras primâ contumulaſſe die.
Debuit a tenero frangi mea lacte facultas;
Crimina neqvaqvam tanta ſecuta forent.
At potius Stigio paterer me limine claudi,
Qvàm Tua mutari debeat alta Domus.
Qvàm minimo Sanctæ variari nomine leges,
Fineq́; Maieſtas ſic caritura ſuo.

Non

Non igitur longæ causem mala tempora vitæ,
Ast animi crimen, desidiemq́; mei.
Cum mihi venturi metuenda est Iudicis ira,
Ac flammis ardens, fulminibusq́; solum.
Cum rapidus comptas urbes depascitur ignis,
Et manet ex omni solus honore cinis.
Quò tot magnanimi Reges? quo gloria mundi
Quo cedent summæ lapsa Theatra spei?
Quo validis cinctæ quondam legionibus arces?
Quo tot per cædes quæ cumulantur opes?
Nil, nisi fumantis quædam vestigia terræ,
Et de tot Regnis pulvis adustus erit.
Quod si tanta premet ruituros fama decores,
Cur fumi nebulas prætereuntis amo?
Cur mihi sic miserum lactant mala gaudia pectus?
In bona cur totâ lubrica mente feror?
At gravior me plaga ferit, sævitq́; per ossa,
Cum reor extremam jam resonare tubam.
Cum tuus horribili tumulos clangore recludet
Aliger, & sumptâ surgere carne dabit.
Qua sol occiduus, qua sol novus exit ab undis,
Qua Boreas populos, qua levis Auster obit;
Omnibus immani sonitu Tuba gentibus instat,
Iudicio properans sistere regna Tuo.

Hìc tibi quis justus? quis iniqui criminis expers?
Quem statuet tuto causa beata loco?
Dum gravis inquires in perdita tempora Iudex?
Et malè compertos jus premet acre reos?
Dum Tibi privatæ res cujuscunq; patebunt?
Nullaq; non palmam pars Tibi victa dabit?
Me miserum! quali protunc ego pectore stabo?
Damnatum toties quem profitetur opus?
Et poteram, nisi noxa mihi tam prava noceret,
Iudicium forsan non timuisse tuum.
Crimina, me perdunt, & justi causa timoris,
Crimina, quæ damno sunt iterata meo.
Sed tamen indulge nostris mitissime culpis;
Da veniam Iudex, & miserere reo.
Cujus in auxilio mundi clementia tanta est,
Vt tuleris pœnas mortuus ipse meas.
Non mea decreto conjungas fata timendo,
Quo miseros homines styx inimica premet.
Tristibus ut verbis maledictæ crimina turbæ
Proscribes, nostras exime, quæso, vices.
Atq; velis justæ comitem sociare coronæ,
Quæ tua perpetuâ numina laude canet.
Non quod ego merui, sed te quia Iudice dignum,
Solvisti offensas, sanguine nempè meas.

ELEGIA XIII.

Pericula inferni invenerunt me.

Psalm. 114.

ME miserum? stygij metuenda pericula Ditis,
Inter securas me reperere vias!
Dum per Erythræum, jucundis devehor auris,
Gemmarum lucro vela levante, fretum;
Dum nimis incautæ laxo mea carbasa sorti,
Absorbet miseram sæva procella ratem.
Nec mihi confudit tantùm, sed sustulit astra,
Vt sit naufragio spes bona rapta meo.
Nil nisi mersa patet spumantis porticus orci,
Oppressitq; meum Styx furiosa caput.
Cur sic erravi? cur noxia vota secutus,
Permisi tumido vela secunda mari?
Fabula dicebam, timidis cantanda puellis,
Quod voret ignitus corpora nostra lacus.
Aût quod Tænariæ præcludant sidera portæ,
Quodq; animas rapiat portitor ille Charon.
Barbara quod Ducibus captis insultet Erynnis,
Non defecturus membra quod ignis edit.
Sysiphios lapides, meritas pro crimine pænas,
Tantaleam dixi, quid joculare, sitim.

Iape-

Iapetioniadæ quod pascat viscera vultur,
Quod gemat Ixion sub perimente rota;
Nunc miser experior, mutato nomine Ditis,
Inferni rigidos me tetigisse focos.
Nunc premor infelix stygiali compede præda,
Crimine spem cœli damnificante meam.
Heu; quid ego referam, tenebrosæ limina sedis;
Quot nimis obscuræ spectra nefanda specus?
Et tamen invito teneor clamore fateri,
Quanta scelus nostrum pæna manere solet!
Quàm nos à superis magno discrimine centri
Clausos, quod tellus abdidit ima, locat.
Vmbrarum, flammæq; simul conjuncta potestas
Vrit, & infaustæ fœdera noctis habet.
Æstuat, & nullo perfundit lumine terram,
Fumo captivos afficiente reos.
Ignitum, vellem, jubeas flammare Caminum,
Pars ignis stygij parva caminus erit.
Si rogus, atq; novis accensa caloribus Æthna,
Pone sit, infernæ vix erit umbra domûs.
Improba fumigeris flagrant incendia tædis,
Nec caligo tamen perniciosa fugit.
O! quæ dejectis pareret solatia rebus,
Si peteret radio sol, ea spectra suo.

Si Lunæ minimum penetraret Tartara lumen,
Stellarumq; aliquod redderet astra jubar.
Sed tenebrosa lues tetris ita regnat in antris,
Vt spem sidereæ lucis habere vetet.
Omne genus pænæ, tormentaq; dira vagantur,
Et rabies Erebi, continuusq; furor.
Nec calamus, nec lingua capit, mens deficit ipsa,
Pressa tot insidijs, supplicioq; stygis!
Ipse velut lictor, superos ulciscitur ignis,
Extingui nullâ, qui, ratione potest.
Dumq; petit gelidâ recreari mitius aurâ
Conglaciant fassum frigora sæva reum.
Frigora, quæ Scythicis longè graviora pruinis,
Et, si quæ præter barbara fertur hyems.
Nam modo decedunt flammis parendo secutis,
Vimq; putes illis deperijsse suam.
Mox iterum redeunt, dum substitit ad minus ignis,
Alternâ miseros excruciando vice;
Sic abeunt, veniuntq; novo mala nexa furori,
Sic alijs pænis, pæna subire studet.
Adde, quod informes Phlegetontis turba, ministri,
Non svetis gaudent improperare modis.
Caucaseo pejor corrodit vulture mentem,
Et durâ vermis conditione gravat.

Sulphu-

Sulphureus nares odor acri tabe fatigat,
Atq; sonant duræ verbera mille stygis.
Et licet his multum crucientur corpora damnis,
Est tamen his pœnæ sæviùs igne genus.
Dum memores quanto superùm privantur honore;
Amissi deflent commoda magna poli.
Dum quibus exciderint, per quæ conamina, donis,
Volvet præteritis mens inimica bonis.
Nec poterit gravior miseros consumere pœna,
Quàm cùm se cernent posthabuisse Deum.
Cùm brevis adverict fallacia lucra voluptæ,
Æternas Erebi commeruisse pyras.
Hæc animum lassant infausta pericula nostrum,
His toties rapitur mens tremefacta malis.
Quæ dum sic memori timidus ratione revolvo,
Tu Deus à pœnis, exitioq; juva.

ELEGIA XIV.
Nunquàm dicit sufficit infernus *Proverb.* 30.

T*Antane flammivomi rabies, & hiatus averni?*
Vt nunquàm dicat, sufficit, atra specus!

Quo plùs damnatæ deglubit funera gentis,
Plùs volet ignitâ fauce vorare reos.
Et quasi capta suum laxarent agmina ventrem,
Majori semper fertur hiare gulâ.
Sic assueta diu solitæ styx impia prædæ,
Nullis, dum superest, fit satiata modis.
Sed Deus! infensos astris compesce furores,
Cur ita styx nostram quærit avara necem?
Cur animas magno superorum munere partas,
Immani nobis cum feritate rapit?
Fulmina num desunt cœlo? quibus infima Ditis
Transvolet? & telis obruat antra suis?
Num pateris vestro decoratas funere mentes,
In spolium turpi succubuisse stygi?
An vitijs hominum motus, sic largior iræ,
Nullam placandi spem facis esse Tui?
Non precor, ut toto pænas cum nomine tollas,
Quamvis id vestris viribus omne licet.
Non precor, ut nullis exæstuet ignibus orcus,
Iustitiæ siquidem sunt ea signa Tuæ.
Sed semel à tantis cohibe Phlegetonta ruinis,
Mens mea solicito sic erit absq; metu.
Omnia limitibus certis, spacioq; tenentur,
Et dant ambitui debita fræna suo.

Quid

Quid patet Oceano majus? tamen ille relictâ
Pulsus humo, magnas littore cingit aquas.
Et licet in tumidos assurgant æquora montes,
Non exit fines te probibente suos.
Maxima quæq; datis requiescunt sidera sphæris,
Nec sibi vicinas stransiliêre rotas.
Ignis edax nimiùm multas depascitur ædes,
Et tamen affusis ille tenetur aquis.
Aût cùm succensæ serpit per devia sylvæ,
Intactis etiam sæpè quievit agris.
Cur igitur soli sit tanta licentia Diti?
Ambit inexpletâ qui tua damna fame?
Non ego conquererer medios projectus in ignes,
Si mihi non illis subtraherêre malis.
Si tua majestas per eos placabilis æstus,
Ac mihi tot pænis conciliandа foret.
Imò libens omnes in me convertere flammas,
Longior ex astris exul abesse volem.
Si modò Tænarias possem demersus in undas,
Affectu pleno nomen amare tuum.
Solus id exigerem, nam me meruisse fatebor,
Solus ad umbrosæ verterer antra stygis.
Omnis pæna mihi charo pro munere staret,
Si non offensi surgeret ira Dei.

Cumq;

Cumq; alij luctu forsan graviore dolerent,
In medijs canerem Numina vestra rogis.
Sed quia lex ista est Erebi servata profundo,
Damnatos odijs ut moderêre tuis.
Nec possum superos aliâ cognoscere fronte,
Quam, quæ continui plena rigoris erit.
Perstringunt vestrum miseris ululatibus axem,
Exosi nomen, judiciumq; rei.
Vndè precor supplex irritamenta furoris,
Et majestatis crimina tolle tuæ.
Aût saltem nè plùs tantæ contagia pestis,
Crescant, Tartareas obrue, quæso, specus.
Hoc timeo crimen, quod me tibi redderet hostem,
Et tua sic bonitas esset adempta mihi.
Nevé meis atrox insultans casibus orcus,
Me detractorem gaudeat esse tuum.
Fas prohibet sancto civem tibi sanguine partum,
Infames plagas sub Phlegetonte pati.
Et quem Divinus pretio majore character
Denotat, Æthyopem commaculare stygem.

ELEGIA XV.

Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.
Psal. 122.

C*Vr mea sidereos semper pupilla coluros*
Aspicit, insulso quis volet ore queri??

Non ego præcipites sphærarum discere cursus,
Non spatium gemini cogito nosse Poli.
Aût quis stellarum numerus, quo volvitur axe,
Quæ regit Ionias flamma serena rates.
Non ego quo remeent, quo surgant lumina motu,
Quæ facies Lunæ deficientis amo.
Vlterius cupido mens hinc attollitur æstu,
Nam, qui perfecit sidera, quæro, Deum.
O! Tua si posset nostros incurrere sensus,
Et me Majestas associare sibi!
Si mihi mortalis gravior non corporis esset
Sarcina! quàm celeri ferrer in astra pede.
Te solum cupio totis obtutibus, in Te
Vertor, ut aspectu commoveare meo.
Attenuant oculos positæ super æthera stellæ,
Et nimis optati dissita Regna Poli.
Dum quo non licuit nostris assurgere membris,
Assiduâ visûs commoditate feror.
Ah! quando dabitur præsenti mente videri!
Quæ parit ingentem lux mihi vestra sitim!
Quando revelatâ facie Te cernere dicar?
Cur huc terrenis distrahor usq; malis?
Sic mea res meliùs, sic & tua causa valeret,
Nam tot ab offensis eximerere meis.

Nunc quo plùs miseræ cumulantur tempora vitæ,
Plùs tua Majestas cogitur inde pati.
O! si me sineres pondus grave ponere carnis!
In te quam cupidè mens mea fixa foret.
Tunc ego lætitiæ laxarem carbasa plenæ,
Spiritus hauriret gaudia magna meus.
Nulla mihi sinè Te requies, non hora, vel instans,
Effluerет, nostris quin canerere metris.
Quæ Tibi sidereæ recitant præconia turbæ,
Audirem medijs junctus & ipse choris.
Quàm felix superûm ratio? quàm suavis amandi
Conditio? certa mens frueretur ope.
Nam commune bonum nullo se limite stringit,
Unus ab alterius munere, crescit honor.
Sic eadem, cœli superis concessa voluptas,
Afficit æquali nomina sancta modo.
Quilibet electus tantâ dulcedine gaudet,
Omnes quanta simul juncta beare potest.
Scilicet ex uno quia Christi ducimur esse,
Hæredes, bona sunt omnibus æqua Poli.
Vtq; meam recreant aliorum gaudia mentem,
Sic illos pariter gaudia nostra juvant.
O! quàm tunc cuperem cunctos mihi cedere Divûm
Affectus! possem quêis placuisse Tibi.

Solus

Solus collectis satiarer sensibus in Te,
Inferior nulli jam meus esset amor.
Solus te fruerer, quantum licet omnibus illis,
Cresceret æterno mens mea mersa bono.
Munus id est animi primum, sed quando resurgent
Olim de bustis corpora clara suis;
Quem lateat? qualis perfundet gloria sensus?
Quantos fulgores, ambrosiamq; bibent?
Quo tunc lætitiæ? quo tunc fluet amne voluptas?
Divitijs animæ consociata caro?
Illa Deum capiet splendoribus, ista fruetur,
Par & ab alterutro crescit utriq; decus.
Hìc oculi, geminis velut aurea sidera sphæris,
Solis ad invidiam lumina magna dabunt.
Hìc avidæ superis consvescent cantibus aures,
Mulcebit suavi voce beata cohors.
Vincet odoriferæ suavissima munera Tmolos,
Aura Poli, noster quâ potietur odor.
Non Ganimedæo satiabitur æquore gustus,
Sed quod cœlestis condet, aletq; sapor.
Hæc ego laudo quidem, cupidisq; exambio votis,
Sed superat cunctos lux tua visa modos.
Te vidisse, mihi quosvis præcellit honores,
Nec potior titulus, nec decus esse potest.

Hoc igitur tantùm dona, nil cætera curo;
Posterior quævis gloria summa venit.

ELEGIA XVI.

S. Damascenus pro recuperanda manu Virgini Beatissimæ.

UT sum barbaricæ mutilus feritate securis,
Ter pepulit reduces Luna bicornis equos.
Ter fuit Oceani vastis emersus ab undis,
Sol, qui præcisam vidit in urbe manum.
At mihi jam multis redeuntes messibus anni,
Tempora præpetibus currere visa rotis.
Dum nimis instanti vellem tibi scribere pennâ,
Sed frænat studium dextera secta meum.
Vna dies annum, (sic tædia longa videntur)
Vna dat æternas nox mihi penè moras.
Nec possunt ulli mentem componere sensus,
Opprimit infelix pectora tacta dolor.
Nam mihi nil graviùs, quàm cùm tua nomina mundo
Distineor scriptis insinuare meis.
Cùm negat ultricem pro Te distringere pennam,
Crudeli nimiùm lege recepta manus.

Sic

Sic ubi sæpè Tuos odio nisi persequor hostes,
Fecerunt curæ tempora longa meæ.
An pateris tanto consumi vulnere servum?
Qui volet officio non caruisse suo?
Non ego sic rigidas lictorum damno secures,
Non affixa Syro quod mea dextra foro.
Non fera Bystonij tantùm mandata Tyranni,
Aût conficta gravi crimina fraude queror;
Quàm quod scribendi prorsùs sit adempta facultas,
Cùm tua defendi debet Imago mihi.
Siccine barbarici stabunt mendacia Regis?
Qui Tibi, qui superis bella sinistra movet?
Si cesso dextrâ Numen moriente tueri,
Innumeras Vrbes virus habebit idem.
Nil superest tuti, parvas qui protegit aras,
Hic quoq; vulgatâ peste tacebit honor.
Quàmvis nec calamo premitur vis fortior hostis,
Ingenium, gladij robur adire nequit.
Est tamen auxilio vulgi; defenditur æquo,
Iure, quod hostili creverit ense nefas.
Debueras, dices, moderatâ scribere pennâ,
Ac donare brevi damna ferenda moræ.
Nam vitijs hominum cœli commota potestas,
Permisit sævo Regia sceptra Duci.

 Nec

Nec ſuperi toties projecto fulmine plectunt,
Infames quoties promeruêre mali.
Pæna Dei lentis niſi ſuevit paſſibus ire,
Non tamen extra odium diſſimulata cadunt.
Ah! quis amor veſtri, quæ mens foret iſta fidelis?
Quæ tot ad offenſas juſſa ſilere volet?
Crede mihi, cunctas in me convertere clades
Mallem, quàm nomen poſſe tacere Tuum.
In me, par avium pennis, volet impius hoſtis,
In me tela fero ſanguine pota vibret;
Perpetiar ſævi potiùs tormenta Pericli,
Non indignanti quàm ſcelus aure feram.
Et poteram tantis calamos opponere damnis,
Cûi Rex jus totum ceſſit in urbe priùs.
Iam fuit officij, juſtas defendere leges,
Non muros, populi ſed mihi fræna dedit.
Quæ mea laus eſſet, patulis admittere portis
Crimina? cùm regimen me penes omne fuit?
Nunc raro colitur; quo tunc coleretur honore?
Si mea vindicibus cederet ira libris?
Ergò nè devotos damnas Tibi pectoris æſtus?
Sic impune ſcelus dextera noſtra ſinet?
Si merui, blandâ vulnus circumſpice fronte,
Et mihi redde meas in nova bella manus,

Tunc

Tunc ego per medias acies, per tela, per enſes,
Defendam laudes, effigiemq́; tuam.
Tunc ego ſi fas eſt, ipſam quoq́; perdere vitam,
Pro magno Dominæ nomine certus ero.

ELEGIA XVII.

Admodùm Reverendo Patri IGNATIO à S. STANISLAO, Provinciali. Literæ miſſæ.

TEr poſui tinctam, metuens Tibi ſcribere pennam,
Involat obſtantem ter mihi penna manum.
Nempè, rigoroſi quem non reverentia vultûs?
Quæ non reprimeret carmina lima gravis?
Ad nomen, quod ſemper erat mihi dulce, favensq́;,
Attremit, & flexo poplite penna cadit.
Sæpè quidem volui ſinceræ credere chartæ,
Quæ deſiderij ſint documenta mei.
Sæpè vel abſentes fuerat mens ſtringere plantas,
Et noſtris numen Te coluiſſe metris.
Sed minis offudit magno me veſtra rubore
Gloria, nec tantis par mihi muſa Dijs.

Quo

Quo veniat supplex, quo Te pede Musa salutet,
Ipsa diu secum digladiata probat.
Nè quid, aùt tanto minùs aptum nomine ponat,
Aût forsan precibus ne sit iniqua suis.
Quodq; magis timeo, nè lectæ margine chartæ,
Author desipiat, verbaq; nostra Tibi.
Et vix aspectas contractâ fronte lituras,
Abijcias, mensæ parte vacante Tuæ.
Fortè procul reliquis, nè cùm sint mista papyris,
Incurrant placidas invidiosa manus.
Quid facerem? merito mens hinc impellitur æstu,
Quæ volet obsequijs se cumulare Tuis;
Hinc metus avertit, ne me sprevisse, meosq;
Affectus justâ conditione velis.
Attamen invitam fregit propensio musam,
Vt brevibus tentet pectora vestra modis.
Sêu spernas, sêu fortè bono mea carmina vultu,
Aspicias, id erit pignus utrumq; mihi.
Sed novi quondam placidæ sacraria mentis,
Quod bonitas animi non ferat ista Tui.
Blandus es, & totâ spirat Tibi gratia fronte,
Et non fucato pectore regnat amor.
Hinc ad me redij, nec jam mihi cura laborq;,
Vt sperem munus Te renuisse meum.

Vtq; priùs fueram magnos expertus amores,
Hæc mihi jam rursùs gaudia, credo, fluent.
Non semper solito Te seria cura labore,
Non semper vultum ruga severa tenet.
Si Tibi res Patriæ, si publica commoda cedent,
Dignanti facie carmina nostra leges.
Quando serenatam laxabunt otia mentem,
Nemoq; confluxu Te propiore premet;
Nostra precor subeat projectæ gratia chartæ,
Nec pudeat vatis Te meminisse Tui.
Pellæus domitor quoties requievit ab armis,
Mæonij sevit sumere metra senis.
Pluraq; si nolis, saltem lege, quod sit amantis,
Hæc servi constans littera missa, typus.
Et si per rerum molimina magna licebit,
Non cesses causæ sæpè favere meæ.
Optarem multis implere altaria votis,
Et nimio superos thure vocare Tibi;
Sed nec pinguis adeps vituli, nec Apollo sacerdos,
Sufficiunt tantis nec mea thura sacris.
Nunc Tibi Divinas precibus placabimus aras,
Signent incolumes astra benigna dies.
Osculor, & plantas, quasi præsens, munere chartæ,
Et vestro Dominos tango favore pedes.

Nec mihi jam videor gelidas projectus ad oras,
Sed coram toto me puto, ſtare ſitu.
O! utinam liceat charis amplexibus uti,
An ſic Popradijs immoriemur aquis?
Sed ſi me fidum ſcribit Tibi pagina ſervum,
Obſequijs vellem ſemper adeſſe Tuis.
Nunc mihi nil reſtat, niſi pronâ quærere Musâ,
Quo vis officio me placuiſſe Tibi?
Qui ſemper veſtros ſtudeo cognoſcere nutus,
Imperijsq; frui gloria prima Tuis.

ELEGIA XVIII.

Admodùm Reverendo Patri DOMINICO à S. AQUINATE, PROVINCIALI.

Carmen Votivum.

DEbuerat pridem merito mea Muſa cothurno,
Ocyus in laudes acceleraſſe Tuas;
Fortè ſupercilio magnæ deterrita frontis,
Hæſit, & attracto ſubſtitit illa pede.
Aût quia palmares metuens par dicere dotes,
Maluit Aoniâ delituiſſe ſpecu.
Ergoné ſegnis honor Muſæ mea vota tenebit?
Gloria tot ſtudijs diſſimulata fluet?

Si

Si metus in causâ, tanto sub numine tuta est,
Si pudor, obtentas dent sacra serta genas.
Vincit utrumq; favor, placidæq; modestia frontis,
Ac audere nimis carmina nostra jubet.
Imò meis toties Tua gratia nota Camænis,
Conciliat Phæbo spem, pretiumq; meo.
Et Tua, quæ tenues animat facundia Musas,
Auxilio Clariæ sæpè vocata Chely.
Num, qui Pierias toties celebraris ad aras,
Inferior tripodem cûi dat Apollo suum;
Cûi vos Castalides crebro lusistis honore,
Et docto Pallas vertice nata nitet;
Nostram despiceres Musam? licet illa minore,
Nec tantis aptâ dotibus arte canit.
Et pius, & blandâ nil Majestate timendus,
Territa clementi metra favore juvas.
Mens pacata Tibi, pleni dulcedine mores,
Excubat in lætis gratia rara genis.
Si veniat rigor, ille brevis; frontemq; severæ
Non audent multùm contemerare minæ.
Suavis in eloquio, grateq; levamine linguæ,
Das facilem, pressis mole doloris, opem.
Aspectu mala multa domas; vultuq; sereno,
Siccabis madidas, motus & ipse, genas.

Quodsi Memnonij radio feriente colossi
Vocales Soli sæpe dedêre sonos;
Si Domino Pellæ sudant simulacra Deorum,
Victoriq́ orbis marmora dura fluunt;
Quid nos, qui rutilo Dominici tangimur astro?
Te mea vox Rhodio gratiùs ære canet.
Mollis erit Pallas, mollis tibi Parthica rupes,
Saxea, cum loqueris, pectora jure moves.
Optat quisq́ sibi clementia jussa tueri,
Imperium pubes prævolat ipsa Tuum.
Est laudi parere Tibi, sêu dicere mavis,
Sed quid prosperius pagina scripta jubet.
Si moneas quenquàm, superos audire videtur,
Obsequioq́ Tibi vult placuisse suo.
Si petis, effusis ad munia currit habenis,
Et pudet ad primas tardiùs isse preces.
Tu verò præis ipse Tuos, certasq́ modestæ
Officio mentis, ne Tua jussa gravent.
Vtimur exemplis, & quo Tu pronior ire,
Pronior obsequijs subdita turba Tuis.
Non minùs æthereæ votis succurrere sedes,
Et precibus facilis vult patuisse Polus.
Damno dona Iovis, spectrum mihi Iupiter Hammon
Et quod sacrilego Græcia thure colit.

San-

Sanctius hìc Numen, vestras circumfluit arces,
Largior offudit cognita tecta Deus.
Arbitrio dedit ille Tuo, quo sidere malis
Accendi? radiet quæ Tibi stella magis?
Qui fæcundet agros? dulces qui decoquat uvas?
Aurea qui cumulet dona Planeta poli?
Imò nec æthereas opus est Tibi quærere flammas,
Cûi fidus præstò Phœbus Aquinas erit.
Hoc gemino felix varijs in casibus astro,
Certa Dei semper munera ferre potes.
Si quoq; pauperies tenui Te presserit usu,
Munificas populi proluêre manus.
Efficiunt passim largis influxibus illa
Quilibet ut census in Tua vota ruant.
Certat amor gentis, fervent suffragia terræ,
Quæ possit studijs aptior esse Tuis.
Compensas hæc dona Polo, cùm diligis aras,
Et toto sumptu Templa, Deumq; colis,
Fulgent aurati radiosis ignibus arcus,
Muneribus clari, divitijsq; tholi.
Auspicijs ea gesta Tuis; Tibi compulit æther,
Munera civiles contribuisse manus.
Æs quoq; campanum quanto ferit astra triumpho?
Officijq; Tui sidera tacta monet?

Non hîc commemorem facundæ flumina suadæ,
Quàm docto populum Tullius ore tenet.
Quàm Tibi mellifluis promanant dogmata rivis,
Est quoties turbæ concio dicta piæ.
Ardet in affectus, quotiès ardere volebas;
Solvitur in lachrymas, cùm doluisse voles.
Nulla loci ratio, nullum fert tædia tempus,
Cum totis fluido pendet ab ore fibris.
Quo raperis? molles nisi sueta resumere cantus,
Inferior tantis es mea Musa viris.
Ad plausus, & vota redi, cum publica fervent
Gaudia, tripudijs dum calet apta dies.
Vive Pater! longis remeet Tibi cursibus ætas,
Et sudent Pylij tempora cana senis.
Non te devotis populi priùs eripe terris,
Quam fuerit noster te satiatus amor.
Sed quia nos tanto nunquàm satiabimur usu,
Nunquàm mortales experiêre dies.
Mensuram vitæ nostris ab amoribus infer,
Quam simul impleris, sæcula multa reples.
Vndè sit æternis hæc prodroma feria lustris,
In senium mundi primus hic annus eat.

ELEGIA XIX.

Admodùm Revñdo Patri Provinciali VENCESLAO à S. FRANCISCO. Insperatâ celeritate è Collegio Podolinensi in Poloniam abeunti, Devotum Vale.

OBruor, & mæstum confundit lachryma sensum,
Vt didici properæ Te dare vela viæ.
Non qualem rigidis extorquent vulnera pænis,
Sed quæ dilecti defleat ora Patris.
Nam quos præsenti minuebas sidere luctus,
Crudescunt abitu, non sinè morte, Tuo.
Et mihi jam labor est, pertæsæ tempora vitæ
Non nisi lethæis intumulare vadis.
Te sinè Popradio miserandum littore funus
Abijciar, medijs Te sinè mergar aquis.
Aût mea continuo tabescent lumina fletu,
Aût gemitu vultus squallidiore fluent.
Nec Phæbo credam, lætos ubi fecerit ortus,
Lætitiæ causam reddere posse meæ.
Nec, si luna novo promittat gaudia cornu,
Solabor vanis pectora mæsta bonis.

Si

Si quoq; nox miseræ præsentet somnia menti,
Hæc puto, plùs sensus exagitare meos.
Nil mihi surreptos justo solamine vultus,
Nil pensare potest Nominis astra Tui.
An poterit quassam Tyrrhena per æquora navim,
Quis? nisi Naucleri sustinuisse manus?
An benè Lædeos vultus, vel lumina solis,
Restituet tenui Cassiopæa face?
Tu mihi crede, precor, nec enim mendacia scribo,
Tu mihi mille alijs dulcior unus eris.
Non ego divitias, non munera magna Tuarum
Muneribus dotum, præposuisse velim.
Ipsaq; cœlestis tantum solatia dextræ,
Me reor affectu demeruère pari.
Nam si Præpositæ pietas hæc juncta curuli,
Vt referat veri jus, regimenq; Dei;
Et nos affuso colimus Tua numina cultu,
Parq; Deo Tibi sit Relligionis honor.
Iam mihi cœlitibus solis æqualia præbes
Gaudia, conformi quem pietate colo.
Te videor spectare Deum, vultuq; sereno
Accendis cœlos, astraq; fausta mihi.
Si fueris præsens, superos radiare putabo,
Et quasi cum vero Numine credo loqui.

Hinc

Hinc pensa, quanto mea mens consumitur æstu,
Absenti nollet quæ caruisse Deo.
Vt solet amoto tristari sidere Typhis,
Dum rapiunt celerem carbasa cæca ratem;
Vt solet amisso tabescere turture turtur,
Et gemitus siccâ non nisi fronde levat;
Vt solet, abreptum fato graviore Parentem
Filius offusis sæpè rigare genis;
Sic mea crudelis divellit viscera mæror;
Cùm procul aversis hinc rapière Notis.
Quem quoties habeo, quoties vidisse merebor,
Nil mihi, post superos, pæne deesse puto.
Non ego jam montes, non ultima limina Regni,
Non queror amotum Pannone rupe locum.
Non tacitas ædes, non muta silentia tecti,
Non patior lentæ tædia dura moræ.
Inter aquas Ponti, Scythicæq; Propontidis æquor,
Te penes esse mihi Patria regna reor.
Et dum Te video, quævis incommoda terræ,
Miror vim cladis deposuisse suæ.
Quod mihi præsentet, quod det suavissima tellus,
Si Te jam dederit, nil puto majus habet.
Quanta mihi tollis, Pater optime, gaudia tecum,
Ex his quisq; potest æquiparare bonis.

Publica sed cogunt properare negotia gentis,
Munus & Officij Te vocat indè Tui.
Sic aliquid posset nostros lenire dolores,
Si non brumalis tam gravis aura foret.
Si medium veris, vel fervida messibus æstas,
Si pars autumni mitior esset adhuc.
Iam vinci paterer, privataq; damna, favori
Curarum Patriæ, cedere fortè volem.
Sed nunc, cùm gelido grassantur frigore venti,
Cùm riget hybernis aura severa malis;
Dum nivium cumulos alto de vertice rupis
In medias pepulit barbara bruma vias;
Quæ mihi Te rapient ingrata pericula cœli?
Quis jubet algentes exuperare nives?
Adde, quod hostili par nostra licentia Marti;
Obruta discincto milite regna scatent.
Nec Tibi securum, nec nostris utile votis,
Omnia soliciti plena timoris erunt.
Si tamen invidiâ, si rerum mole vocante
Affectu nostro non retinendus abis;
Deseris amplexus; hærentia brachia solvis;
Et lachrymas, lachrymis diluis ipse Tuis.
Iàm Tibi præcipites nolim frænare jugales,
Et desiderio cor gravidare meo.

Ingemuit

Ingemuit toto glacialis Carpathus orbe,
Cùm Tutelares sensit abire Deos.
Qui sibi vicino meliùs caluisse putabat
Sole, diu passas detumuisse nives.
Vade bonâ volucri, quam non color inficit ater,
Dent Tibi felices astra benigna vias.
Attamen hîc animæ, credo, pars certa manebit,
Cor cedes nobis, dimidiumq; Tui.
Te vector moneo, moderatis utere frænis,
Nè noceat currus præcipitante rotâ.
Nè cadat, aût verso jaceat temone supinus,
Molleq; nè lædat motio crebra latus.
Quid moror? & celeres rapiunt mea gaudia venti,
I felix, Patriæ spes, pretiumq; Tuæ.
Sed Te per Nomen, quo nil mihi cariùs opto,
Perq; Tuos animos, per Tua jura peto;
Vt quæcunq; Tuos averterit orbita vultus,
Iuncta simul causæ sit Tibi cura meæ.

ELEGIA XX.

Admodùm Reverendo Patri,
STANISLAO à S. SEBASTIANO Provinciali,
In Diem Nominalem.

QVas Tibi vel laudes, vel honoræ munera famæ
Offerrem, Genio metior usq; Tuo.

Ne quid inæquales minùs impendiſſe Camenæ,
Ne meritis impar poſſit obeſſe chelys.
Cùmq; per innumeros ſtudio flagrante decores
Excurro, quali Te ratione colam?
Quis potior titulus? quod agat præconia carmen?
Quæ Tua ſuavè mihi numina Muſa canat?
Invenio ſolas, Tibi debita præmia, dotes;
Dotes Ingenij pignora magna Tui.
Hinc, ut Te meritâ poſſim depingere laude,
Te Tibi pro digno munere ritè dabo.
Nec Tibi Te major reperiri gloria metri,
Nec plùs ultrà Te creſcere Muſa poteſt.
Exæquas omnes venerando nomine laudes,
Menſuramq; meis verſibus ipſe facis.
Et licet eſt in Te totum, quod dicere vellem,
Ante Tuus fundat, quo celebreris, honor.
Attamen & noſtro creſcet Tibi carmine virtus,
Ingenio creſcet laus recitata meo.
Ipſe Deus magno ſatis eſt ſibi nomine clarus,
Laudari noſtrâ vult tamen ille prece;
Et quoties blandi canitur clementia cœli,
Credere fas carmen poſſe placere Deo.
Hinc mea ſpes afflat tenuis præconia Phœbi,
Quod poterunt pectus demeruiſſe Tuum.

Nam

Nam Tua cuncta leges, nisi nostro juncta labori,
Carminibus colitur res Tua tota meis.
Scilicet, insignes ubi Divæ mentis honores,
Et Iove narro Tibi doctiùs esse caput;
Palladias artes à Te didicisse Minervam,
Quodq́ Tuo melior Tullius ore foret.
Eloquij pretium, centumq́ simillima gesta,
Virtutis studium dum cano grande Tuæ.
Hoc non à metris, sed ab alta dote petitum est,
Nec quid ab ingenio deteriore capis.
Illa Paternorum bonitas placidissima morum;
Quæq́ beat vultum, rara volupta, Tuum.
Illa perorantis vis, & facundia linguæ,
Aüt cum solari pectora nostra studes.
Dum suades aliquid, miti cor in ore relucet,
Gratia cum dictis defluit ipsa Tuis.
Illa Tuæ probitas mentis, candorq́, favorq́,
Num poterunt nostro plùs valuisse metro?
Quid memorem rectæ consortia suavia vitæ?
Quàm felix, cum quo res Tibi juncta fuit.
Hinc legem veri mundus sibi formet amici,
Vel nullus, vel Tu dignus amore frui.
Fœdus amicitiæ, quo quis Tibi junctus habetur,
Affectu nusquàm candidiore patet;

Inde pari rursus cûivis redamaris honore,
Ac eadem vobis vita duobus erit.
Hæc præstas paribus; sed plùs impenderis illis,
Qui Te cunq; colunt inferiore genu.
Sic Tua transfundis nostræ solatia menti,
Vt cunctos animo demereare Tuo.
Sic nos dilectæ demulces sidere frontis,
Vt Te plùs aliquis nil habuisse velit.
Sic Tua cum verbis in nos propensio manat,
Vt Tibi quid blandi vix superesse putem.
Cordis eas potiùs, non oris dixero voces,
Quas adhibes monitis, Imperijsq; Tuis.
Si mansuetudo dignis imitanda tabellis,
Atq; Tuo Charites funderet ore suas;
Si quos blandus amor cuperet sibi fingere vultus,
Corpus ab exemplo sumeret omne Tuo.
Dicere non possum, quàm nos Tu fronte serenâ
Suscipis, affectu quo Tua verba fluunt?
Quàm suavis donas, cùm quid petijsse decebat,
Auxilio nostras anticipante preces.
Et quàmvis ipsos præeas jam munere nutus,
Non tribuisse priùs, quàm peterere, doles.
Vt Tibi desit rationis causa severæ,
Ipse quod irritat, nos removere doces.

Non

Non tantùm sensit Dolopeja munus ab hasta,
Qui pariter quondam vulnus, opemq; tulit.
Nam Tu quàm lædas, priùs arma nocentia tollis,
At q; malum melior jam medicina præit.
Solus ego novi, quâ me dulcedine lenis,
Dum recreas mentis vulnera cruda meæ.
Quàm mea felici medicamina conficis arte,
Communiq; mihi pæne dolore gemis.
Quas igitur laudes? quali fundemus amore?
Pro tanta officij sedulitate Tui?
Aureus optarem, sinceri pectoris ut sit
Affectus, nostris aurea verba metris.
Nam nisi sic digno pretiosas carmine dotes,
Ingenium paterer sic celebrare Tuum.
Ast alijs equidem rudiori facta metallo
Mens, sibi conformes suevit habere vias.
Plumbeus his animus, tacti rubigine mores,
Illis affectus nomen ab ære trahit.
Quod Lypare fecit, varios cum forsan amores
Conflaret, fabro præcipiente Deo.
Sed nobis aliud pretium, quod sufficis ipse,
Exornas meritis carmina nostra Tuis.
Hinc quia Palladiâ decerneris aureus arte,
Aureus & noster, quo potieris, amor.

Imò

Imò Lemniacæ, flammas, incudis ad instar,
Pectoris elicimus nobiliore foco.
Aurea materies à Te; dilectio formam
Aptat, ut affectus hâc pretiante meent.
Quod si quid pretij, præter Tua dona superfit.
Hoc à siderea non nisi merce venit.
Ignito nobis amor est exercitus auro,
A se quod Numen suadet, & optat emi.
Hunc tamen, ut nullo falsi pallere colore,
Credas, ipse velis Lydius esse lapis.
Ipse meos grati consultâ lance favoris,
Affectus, Musas ipse probare stude.
Nulla mihi major poterit contingere sors; hâc,
Quâ tanto videar complacuisse viro.
Vtq; perennanti durent mea tempore vota,
Hæc incisa Tibi Cracia Petra feret.
Et cœlo semper contermina teste probabit,
Quod dicor vates Stanesilae Tuus.
Vive pius superis, nostræ bona gloria gentis
Et Calasantinis fama beata tholis.
Vive diu nobis, cum quo vixisse volemus
Semper, & Imperijs invigilare Tuis.
Vive Pater Patriæ nostris aptatus habenis,
Quem sibi præfecit Relligionis honor.

Te

Quem video, certo repletus Apolline vates,
Multoties nostræ fræna tenere rei.
Et licet ipse meo nequeam subscribere voto,
Ex alijs tamen hæc mentibus astra lego.
Quod si libertas affectu vota juvandi,
Esse mihi nullo jure negata potest;
Iam meus anticipat legales calculus arrhas,
Et nostrum toties Te jubet esse Ducem.
Imò Tuæ dotes, & amor, quo colligis omnes,
Imperij signant omina certa Tui.

ELEGIA XXI.

Eidem pro Festo S. SEBASTIANI, Meta Amorum, Jaculatorijs affectibus, pro sagittis impetita.

MEta triumphales olim gestasse coronas,
Dicitur, & pretium meta laboris erat.
Sêu quis Olympiacas agili pede vicit arenas,
Sive volubilibus palma petita rotis.
Aût cùm Threÿciam sphæræ Mars impulit hastam,
Aût ferijt certum plumbea grando scopum,

Aût quoties avidis nervo celerante sagittis,
Arcitenens fixit scuta remota manus.
Aurea palmiferæ creduntur munera metæ,
Meta coronarum dona superba tulit.
Laurus, & Isiacis distincta monilia gemmis,
Purpura, sêu variis serta parata modis.
Aût si quid præter meritos redimiret agones,
Servabat dignis edita meta viris.
Sic ubi Te nostro Pater expugnamus amore,
Prodiga donorum Meta, decusq; pates.
In Te Phœbææ radiat sacra laurea frontis,
In Te votorum dives arena nitet;
Ingenij sublimis honor, suadæq; voluptas,
Sertaq; vinxerunt prodigiosa caput.
Dant gemmas animi, doctæ Permessidis undæ,
Et toto frondes ex Helicone capis.
In crinale decus, meriti ornamenta capilli,
Cyrrhæis opibus servit Apollo Tibi.
Vestit honoratis palmaria tempora baccis,
Quas fuit Idæo Pallas adepta jugo.
Plurima facundæ texuntur præmia linguæ,
Plurima Tulliacas palma coronat opes.
Aurea mens, Latio conceptûm fulgurat auro,
Aurifluo nobis crederis ore loqui.

Vt ſic divitias etiam Tua meta triumphet,
Quæq; volet, poſſit munera ferre manus.
Vidit eas dotes, Teq; audax figere votis,
Direxit calamos Relligioſus amor.
Non hîc Idalijs arcus intenſus arenis,
Non pharetræ pueri ſunt Ericina Tui.
Nolumus infames Lædeja crimina, Cygnos,
Quos ſpoliat pennis forſan arundo ſuis.
Odimus & cæſam Meròén, Cyprumq; ſagittis,
Non armat Paphius ſpicula noſtra chalybs;
Sunt arcus alij, nova nobis tela miniſtrat,
Ac aliter ſanctus pectora lædit amor.
Nempè columbinis libratus Spiritus alis,
Dux hominum veri primus amoris erat.
Ille ſuo dulces jaculatur ab æthere flammas,
Et ferit auratâ cuſpide regna Poli.
Ille ſalutifero conſumit vulnere mentem,
Et docet inſomnes evigilare faces.
Quem pia caſtorum plebs circumfundit amorum,
Iuſſaq; pro noſtris illa calere bonis.
Pennigeras acies clauſtralia caſtra còèrcent,
Aurea d fendunt tela volucre latus.
Quæ fulmen pariunt, conflant quoq; ſpicula nubes,
Ipſa fit argento fuſa ſagitta novo.

 Corpus

Corpus amat, telis, ſacer explumare Palumbes,
In pennas, quarum purpura picta rubet.
Gnoſſiacum cornu, tenſus crucis exhibet arcus;
Vincula, pro nervis, ſtrictior aptat amor.
Hac puto de turba, non Treſſo raptus ab Hemo,
Arcitenens, ſuperis fertur in aſtra viјs.
Et quoties opus eſt, ſummo delabitur axe,
Exercetq́ ſacrâ pectora noſtra face.
Sive cor humanum Divino ſauciet igne,
Sêu feriant magnos ignea tela viros.
Hac de progenie pictos Tibi ſufficit arcus,
Teq́ petit Metam Relligioſus amor.
Spicula ſi deſint, pius adjuvat arma Sebaſtus,
Vulneribus laxis arma Sebaſtus alit.
Aût pro Te rigidis opponit pectora telis,
Aût votis animum deſtinat ipſe Tuum.
At mihi Phœbæas porrexit Muſa ſagittas,
Et juſſit centrum cordis habere Tui.
Nam Tibi plùs norûnt Vatem debere Camenæ,
Atq́ Tuo Clarius nomine creſcit honor.
Te cano, quem meriti mihi devinxêre favores,
Spirat opus dextræ pagina grata Tuæ.
Injuſſis etiam fluit obvia ſæpia pennis;
Dum volo quod nomen ſcribere, ſcribo Tuum

Ipſeq́

Ipséq; jam miror calamos cognoscere mentem;
Ipsæ jam nôrunt abdita nostra manus.
Et quia gratari Domino voluêre, Tibiq;,
Non monitæ laudes exhibuêre Tuas.
Crede mihi, nullos prætendo scribere fucos,
Quod loquor, id jam Te sæpè dedisse scias.
Et qui tot donis nostros convincis amores,
Nonnè Tibi verè dicta fuisse probes?
Vive memor vatis, felicibus utere lustris,
Et sis affectûs meta, scopusq; mei.
Plures dictat amor laudes, animatq; Camenas
In studium; pennæ plurima vota parant.
Sed timuit brevior tantas adstringere dotes,
Et nisi vile Tibi pagina præbet opus.
Non quod, sic sterilis Phæbi calcatur arena,
Sed timor eximij nominis astra tenet.
Non sic Carpathij concrescunt frigore colles,
Brumaq; Popradias sic glaciabit aquas.
Quàm meus Aonios curâ metus alligat amnes,
Nè quid, non dignum Te, cecinisse puter.
Hæc quoq;, quæ trado damnari carmina credo,
Si non Iudicio vis ea stare Tuo.
Sive tamen damnes, sêu malis illa probare,
Irrepunt dominas, Vate jubente, manus.

ELEGIA XXII.

Admodùm Reverendo Patri DANIELI à S. LAURENTIO, R. R. Cùm ſe per Anagramma ſubſcripſit Servum Verſum.

ARriſit Phœbus, lætæ plausêre Camenæ,
Vt verſum ſcribi Te didicêre ſuum.
Nec jam Virgilium, nec Publia carmina curant,
Non mulcet Lyricâ Lesbia Sapho Cheli.
Te ceciniſſe ſatis; totas impendere noctes,
Ingenio toto ſat ſtuduiſſe Tibi.
Nil mihi Pieriæ potuerunt cariùs aræ,
Te majùs Vates nil celebrare Tuus.
Et quoties poſthâc magni quid ſcribere vellem,
Non niſi, Te verſu, ſufficiente fruar.
Te mea Muſa canet, faciles Te pingere pennæ,
Te gemino Phœbus colle ſonare ſtudet.
Si ſuperos, ſi Roſtra notem, ſi grande Sophorum
Nomen, & Hiſtoricæ clara trophæa rei;
Theologos, ſtudiumvé Poli, noſtramvé Pòëſim,
Complectar verſu cuncta recepta Tuo.
Nec labor iſte meus, ſed dos Tibi tanta coruſcat,
Omnibus his fulget mens Tua docta bonis.

Attamen

Attamen exopto, nè det Tibi quid breve versus,
Incolumis longos vive, domaq; dies.
Dum Tibi felici studio placuisse volemus,
Atq; Tuus dicar versificator ego.

ELEGIA XXIII.

Admodùm Reverendo Patri, SAMUELI à S. ADALBERTO, Assistenti Provinciali.

ADventu tremefacta Tuo, dum fluctuat, hæsit,
Nunc quoq; vix compos reddita Musa sibi.
Sic quæ prima Tuas incurrere debuit ulnas,
Seriùs è tenebris prodit adacta suis.
Da veniam tardo peccanti carmine Musæ,
Fert quod inurbanâ simplicitate Tibi.
Dedidicit mores hominum, consueta fugaci
Popradij lymphæ, Carpathijsq; capris.
Vtq; solent pavidæ sylvis se condere cervæ,
Cùm venatoris tela, vel ora vident;
Vt stupet Elæo sonipes de carcere missus,
Insuetam Solis, fronte vagante, facem.
Vtq; rudis pubes, quoties novus adfuit hospes,
Aspicit impositâ desuper ora manu.

Sic mea non solito perculsa est Musa decore,
Vt meritæ dammes rusticitatis eam.
Attamen abjectos relevat Tua gratia sensus,
Vt recreat radijs Sol gelida arva suis.
Vtq; trahunt paleas Pruthenica succina viles,
Sic Tibi confisus noster adhæret amor.
Et licèt imparibus scio me contendere votis,
Non tamen affectûs vim retinere queo.
Æternùm credas, quàmvis sub munere parvo,
Quem decorant baccis Cynthia serta suis.
Hinc est, quod vestris licet impar dotibus ausus,
Fas tamen haud solitis abstinuisse metris.
Effice, si qua potes, nè sit mihi tantus amandi
Fervor, & in laudes tanta cupido Tuas.
Sed nullo studium frænari robore spero,
Quod jubet, ut vester semper ametur honor.
Scilicet è gemino mihi manant gaudia fonte,
Bis fulges Musis, diligerisq; meis.
Et quia Præpositi circumfers munia Patris,
Absentis dignas sufficiendo vices.
Et quia Te multùm nobis es amabilis ipso,
Mentibus æternas inijciendo faces.
Sic satis ipse Tibi magnis virtutibus ingens,
Major ab eximio Numine surgis adhuc.

Si

Si quod in officium solis conscenderet astrum,
Quanta foret claro lux ab utrinq; Polo?
Si Lunæ faciem Tegeeja stella referret,
Quantus in obscuros splendor abiret agros?
Aût ubi Tyrrhænum, Tyberi confuderis, æquor,
Quo fluet exundans Daunia ripa freto?
Additus infracto Tirynthius armus Atlanti,
Quod præstat fulcrum, præsidiumq; Dijs?
Aût ubi gemmifero, Pactoli flumina, Gangi,
Iungantur, quales funderet amnis opes?
Non minor hinc in nos promanat gloria vestri,
Cùm sidus Patriæ, clarus & ipse, refers.
Nil ego de magnis libabo dotibus in Te,
Quæ cumulant virtus, ingeniumq; simul;
Quantus honor frontis, quali candore bearis?
Quàm Tua sinceris mens opulenta bonis?
Quo nuper studio Neodolscia fræna regebas?
Quid Tibi præstiterit Relligiosus amor?
Quêis Calasantino curis impenderis orbi?
Delicias in Te quas pia fama tulit?
Nil ego tantarum pelago deducere rerum,
Nè nimis offundar laude sequente, volo.
Hoc satis ingenti Musas sudore fatigat,
Quàm nunc officio, suavis amore Tuo es?

Quàm benè commissum dextro molimine munus,
Exerces cunctis ut medeare malis.
Quàm desiderium quodvis explere laboras,
Vt sibi plùs ultra nemo quis optet agi.
Me quoq; quærebas miti ratione, quid à me
Ad nostri referas jura, forumq; Patris?
Quid non optarem tanto Fautore referri?
Sed nil plùs opto, quàm vovet ipse mihi.
Vtq; brevi magnos complectar lege favores,
Plùs ego non opto, quàm facis ipse mihi.

ELEGIA XXIV.

Certamen Philosophicum in Disputationibus Scholasticis.

NOn pavet, at dignos potiùs capit indè triumphos,
In circum docti Musa venire Sophi.
Illa quidem dominæ levis est, imparq; Stagyræ,
Cûi satis ad tenues flectere metra pedes.
Impar sublimes Entis percurrere classes,
Quæ nisi pars veri fabula dicta sui.
Impar formarum studio, speciemq;, Genusq;,
Ingenio longè deteriore colit.

Nec

Nec sibi quid causæ, quid sint objecta, patescit;
Et plùs se, queritur, fingere posse Sophos.
Vnum, si liceat pacato dicere verbo,
Cognatum Musis Ens rationis erit.
Sed, si Porphyria sedisse sub arbore tutum est,
Huc referet laurum nostra Camena suam.
Et licet Euripus pleno satis æstuet amne,
Non minùs Aonio crescere fonte potest.
Hinc laudes cumulo laudi, Cyrrhæaq; serta,
Victor Aristoteles frontibus apto Tuis.
Quid moror? en celsô coëunt capita alta cothurno,
Attica palmares præbet arena tubas.
Sidereæ mentis Divus modò sudat Aquinas,
Ardua Subtilis fert modò bella Scotus.
Promovet hîc aciem, contra simul ille repugnat,
Et propè sanguineus Mars ratione furit.
Arguit hîc, negat ille, pari fervore calescunt,
Arma per alternas stantq;, caduntq; vices.
Hic quoties dextro movet argumenta Gradivo,
Ingenij toties ille refellit ope.
Crescit opus verbis, sensimq; modestia cedit,
Palladis ambiguo detonat aula sono.
Classica fortè cani, vel debellata putares
Pergama, sic altâ voce Stagyra crepat,

Surgunt

Surgunt, atq; retrò jam mota sedilia quærunt,
Aût plausu manuum dogmata victa probet.
Mox iterum taciti presso clamore recumbunt,
Et quasi respirans detumet ira parum.
Cêu gelido motæ turgent Aquilone procellæ,
Quas lenit blandi pax inopina Poli.
Parva mora est validis iterum rationibus insi
Suetaq; Peripati circus in arma ruit.
Sistite discordes, bona Numina, sistite mentes,
En vobis laurum Mars dat utrinq; panem.
Est bene defensus, palmamq; reportat Aquinas,
Ter gemino superûm dignus honore Scotus.

E R R A T A.

Pagina 1. *astra*, lege *atra*
p. 15 in cōcor. *nullos*, l. *nullis*.
p. 17 *quam*, l. *quem*,
Ibid. *bellacibuus*, l. *bellacibus*,
p. 45 *domat* l. *donat*,
p. 53 *assurgunt*, l. *assurgant*,
p. 55 *quantas*, l. *quantus*.
p. 56 & l. *est*.
p. 58 *num*, l. *nam*.
Ibid. *nimio*, l. *minimo*.
p. 63 *ac*, l. *à*
p. 74 *curas*, l. *cunas*.
p. 79 *Betlehæmæa* l. *Betlebemæa*.
p. 85 *Iudeorum*, l. *Iudæorum*.
p. 92 *populerunt*, l. *pepulerunt*
p. 98 *voluisset*, l. *valuisset*.
p. 102 *sanquine*, l. *sanguine*,
p. 106 *tum*, l. *tua*.
p. 120 *balsamo*, l. *balsama*,
p. 124 *captat*, l. *aptat*,
p. 127 & l. *est*.
p. 128 *cocis*, l. *cocos*,
p. 142 *quis*, l. *vis*,
p. 151 *rapis*, l. *ripis*,
p. 156 *funditur*, l. *tunditur*,
p. 162 *verò*, l. *vero*,
p. 169 *feret*, l *ferè*,
p. 174 *supplente*, l. *supplent*,
p. 184 *quæri*, l. *queri*,
Ibid. *preces*, l. *prece*,
p. 186 *sic*, *l. sit*,
p. 188 *atra*, l. *aura*,
p. 192 *nequijt esse*, l. *nec quijt isse*,
p. 194 *non*, l. *nec*,
p. 199 *ipse*, l. *ipsa*,
p. 200 *satis*, l. *salis*,
p. 206 *demissis*, l. *demessis*,
p. 210 *iste*, l. *ite*,
p. 217 *cessit*, l. *cessi*.
p. 218 *equos*, l. *equus*
p. 220 in concord. *Ducem*, l. *Denhoff*.
p. 224 *tenor*, l. *tener*.
p. 234 in concor. *virtue noæ*, l. *virtus non*,
p. 235 *poteris*, l. *pateris*,
p. 237 *manus*, l. *minus*,
Ibid. *fons*, l. *fas*,

p. 239 *plausus* l. *plausu*,
p. 241 *certum*, l. *cælum*,
p. 242 *dedecuisse*, l. *dedocuisse*,
p. 251 *atq;*, l. *utq;*,
p. 263 *sævo*, l. *svevo*,
p. 264 *agentem*, l. *algentem*,
Ibid. *sæpe*, l. *sepe*,
p. 265 *velle*, l. *ille*,
Ibid. *nostræ*, l. *nostro*,
p. 267 *lingua*, l. *longa*,
Ibid. *Thesium*, l. *Thetium*,
Ibid. *Tyramnis*, l. *tyranno*,
p. 268 *commodæ*, l. *commoda*,
p. 269 *& piscata*, l. *expiscata*,
p. 270 *locus*, l. *locum*.
p. 273 *Goxos*, l. *Gothos*,
Ibid. *prEßâ*, l. *preßa*,
p. 275 *genitum*, l. *genitam*,
p. 276 *detepuisse*. l. *detonuisse*,
p. 277 *socios* l. *socias*,
p. 278 *rema*, l. *regna*,
Ibid. *apes*, l. *aper*.
Ibid. *fere*, l. *fore*,
p. 279 *quod*, l. *quot*,
Ibid. *tumulus*, l. *tumulos*,
p. 280 *qua*, l. *quæ*,
p. 284 *celos*, l. *celsos*,
p. 285 *Denhoffiæ*, l. *Denhofiæ*,
p. 286 *Denhoffia*. l. *Denhofia*,
p. 290 *æquæ*, l. *æquè*,
p. 291 *meliùs sua né*, l. *meliùs né sua*.
p. 293 *Eous*, l. *Cous*,

---

p. 9 *timebunt*, l. *tumebunt*.
p. 18 *moveris*, l. *noveris*.
p. 32 *amato*, l. *amata*,
p. 35 *mentibus*, l. *mensibus*,
p. 38 *obvios*, l. *obvius*,
p. 41 *metitur*, l. *metire*,
p. 52 *&* l. *ex*,
p. 87 *pluvio*, l. *fluvio*,
p. 95 *bona*, l. *bono*,
p. 109 *Tntaleâ*, l. *Tantaleâ*.
p. 114 *fingit*, l. *figit*,
p. 150 *Pericli*, l. *Perilli*,
p. 152 *ducimur*, l. *dicimur*,
p. 186 *panem*, l. *parem*.